WBP
Opole
2715 St.

PARS ALTERA
RITUALIS
VRATISLAVIENSIS
DE
BENEDICTIONIBUS,
PROCESSIONIBUS,
NEC NON
EXORCISMIS,
AC IIS,
QUÆ PAROCHI PRÆ MANIBUS HABERE
DEBENT,
VEL
EX LAUDABILI CONSUETUDINE A FIDELIBUS
DESIDERARI SOLENT.

VRATISLAVIÆ,
Typis Johann. Francisci Kreuzer.

WBP
Opole
2715 ot.



DE BENEDICTIONIBUS.

REGULÆ GENERALES.

Noverit Sacerdos, quarum rerum benedictiones ad ipſum, & quæ ad Epiſcopum ſuo jure pertineant: ne majoris dignitatis munera temere aut imperite unquam uſurpet propria authoritate.

In omni benedictione extra Miſſam, Sacerdos ſaltem ſuperpelliceo & ſtola pro ratione temporis utatur, niſi aliter in Miſſali notetur.

Stando ſemper benedicat & aperto capite.

In principio cujusque benedictionis dicat.

Verſ. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
Reſp. Qui fecit cœlum & terram.
Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Deinde dicatur Oratio propria una, vel plures, prout ſuo loco notatum fuerit.

Poſtea rem aſpergat aqua benedicta, & ubi notatum fuerit, pariter incenſet, nihil dicendo.

Cum Sacerdos aliquid benedicturus eſt, habeat miniſtrum cum vaſe aquæ benedictæ, & aſpergillo, & cum hoc Rituali libro ſeu Miſſali.

Caveat, ne benedictionis cauſa ponat aliquid indecens ſuper altare, veluti eſculenta: ſed quod ejuſmodi eſt, ponatur ſuper menſam, commodo loco paratam.

ORDO
AD FACIENDAM AQUAM BENEDICTAM.

Diebus Dominicis, & quandocunque opus fuerit, præparato ſale & aqua munda benedicenda in Eccleſia, vel in Sacriſtia, Sacerdos cum ſuperpelliceo & ſtola violacea indutus primo dicit:

Verſ. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
Reſp. Qui fecit cœlum & terram.

Deinde abſolute incipit Exorciſmum Salis.

Exorciſo te creatura ſalis, per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ ſanctum, per Deum, qui te per Eliſæum Prophetam in aquam mitti juſſit, ut ſanaretur ſterilitas aquæ, ut efficiaris ſal exorciſatum in ſalutem credentium, & ſis omnibus ſumentibus te ſanitas animæ & corporis, & effugiat atque diſcedat a loco, in quo aſperſum fueris, omnis phan-

phantaſia & nequitia, vel verſutia diabolicæ fraudis, omnisque Spiritus immundus adjuratus per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. Reſp. Amen.

Oremus.

Immenſam clementiam tuam, omnipotens æterne Deus, humiliter imploramus: ut hanc creaturam ſalis, quam in uſum generis humani tribuiſti, bene ✠ dicere & ſancti ✠ ficare tua pietate digneris: ut ſit omnibus ſumentibus ſalus mentis & corporis; & quidquid ex eo tactum, vel reſperſum fuerit, careat omni immunditia, omnique impugnatione ſpiritualis nequitiæ. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

EXORCISMUS AQUÆ,

& dicitur ſine Oremus.

Exorciſo te creatura aquæ, in nomine Dei, ✠ Patris Omnipotentis, in nomine ✠ Jeſu Chriſti Filii ejus Domini noſtri, & in virtute Spiritus ✠ ſancti: ut fias aqua exorciſata ad effugandam omnem poteſtatem inimici, & ipſum inimicum eradicare, & explantare valeas cum Angelis ſuis apoſtaticis: per virtutem ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. Reſp. Amen.

Oremus.

Deus, qui ad ſalutem humani generis maxima quæque Sacramenta in aquarum ſubſtantia condidiſti: adeſto propitius invocationibus noſtris, & elemento huic multimodis purificationibus præparato, virtutem tuæ bene ✠ dictionis infunde, ut creatura tua myſteriis tuis ſerviens ad abigendos dæmones, morbosque pellendos, divinæ gratiæ ſumat effectum: ut quidquid in domibus, vel in locis fidelium hæc unda reſperſerit, careat omni immunditia, liberetur a noxa; non illic reſideat Spiritus peſtilens, non aura corrumpens; diſcedant omnes inſidiæ latentis inimici, & ſi quid eſt, quod aut incolumitati habitantium invidet, aut quieti, aſperſione hujus aquæ effugiat, ut ſalubritas per invocationem ſancti tui nominis expetita, ab omnibus ſit impugnationibus defenſa. Per Dominum noſtrum &c.

Hic ter mittat ſal in aquam in modum Crucis, dicendo ſemel:

Commixtio ſalis & aquæ pariter fiat; in nomine Pa✠tris & Fi✠lii & Spiritus ✠ ſancti. ℟. Amen.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Deus, invictæ virtutis auctor, & inſuperabilis Imperii Rex, ac ſemper magnificus triumphator: qui adverſæ dominationis vires reprimis; qui inimici rugientis

gientis ſævitiam ſuperas; qui hoſtiles nequitias potenter expugnas; te Domine, trementes & ſupplices deprecamur ac petimus, ut hanc creaturam ſalis & aquæ dignanter aſpicias, benignus illuſtres, pietatis tuæ rore ſanctifices, ut ubicunque fuerit aſperſa, per invocationem ſancti tui nominis omnis infeſtatio immundi Spiritus abigatur, terrorque venenoſi ſerpentis procul pellatur, & præſentia ſancti Spiritus nobis miſericordiam tuam poſcentibus ubique adeſſe dignetur. Per Dominum noſtrum &c. in unitate ejuſdem Spiritus ſancti Deus &c.

Poſt benedictionem aquæ, Sacerdos Dominicis diebus, antequam incipiat Miſſam, aſpergit altare deinde ſe, & miniſtros, ac populum, prout in Miſſali præſcribitur, & infra, ſub titulo, juxta ritum Provinciæ habetur.

Poſtea Chriſti fideles poſſunt de ipſa aqua benedicta in vaſculis ſuis accipere, & ſecum deferre ad aſpergendos ægros, domos, agros, vineas & alia, & ad eam habendam in cubiculis ſuis, ut ea quotidie & ſæpius aſpergi poſſint.

BENEDICTIO FONTIS BAPTISMI.

Extra Sabbatum Paſchæ & Pentecoſtes,

cum aqua conſecrata non habetur.

Primum lavatur & mundatur vas Baptiſterii, deinde lympida aqua repletur. Tum Sacerdos cum ſuis Cleri-

Clericis, vel etiam aliis Presbyteris, Cruce & duobus cereis præcedentibus, ac thuribulo & incenſo, & cum vaſculis Chriſmatis & Olei Catechumenorum deſcendit ad fontem & ibi vel ante altare Baptiſterii dicit Litaniam ordinariam, prout habetur in prima parte pag. 247.

Et ante Verſ. Ut nos exaudire digneris, dicat, & ſecundo repetat ſequentem verſum. Ut fontem iſtum ad regenerandam tibi novam prolem bene ✠ dicere & conſe ✠ crare digneris, Te rogamus audi nos.

Poteſt etiam dici Litania brevior, ut in Miſſali in Sabbato ſancto, & dicto ultimo Kyrie eleiſon.

Sacerdos dicat: Pater noſter &c. & Credo in Deum &c. omnia clara voce; quibus finitis dicat:

Verſ. Apud te, Domine, eſt fons vitæ.
Reſp. Et in lumine tuo videbimus lumen.
Verſ. Domine exaudi orationem meam.
Reſp. Et clamor meus ad te veniat.
Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, adeſto magnæ pietatis tuæ myſteriis, adeſto Sacramentis & ad recreandos novos populos, quos tibi fons baptiſmatis parturit, Spiritum adoptionis emitte: ut, quod noſtræ humilitatis gerendum eſt miniſterio, virtutis tuæ impleatur effectu. Per Dominum noſtrum Jeſum Chri-

Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Reſp. Amen.

EXORCISMUS AQUÆ.

Exorciſo te, creatura aquæ, per Deum vivum, ✠ per Deum verum, & per Deum ſanctum, ✠ per Deum, qui te in principio verbo ſeparavit ab arida, cujus ſuper te Spiritus ferebatur, qui te de Paradiſo manare juſſit.

Hic manu aquam dividat, & deinde de ea effundat extra marginem fontis verſus quatuor Orbis partes proſequens. Et in quatuor fluminibus totam terram rigare præcepit; qui te in deſerto amaram per lignum dulcem fecit, atque potabilem: qui te de petra produxit, ut populum, quem ex Ægypto liberaverat, ſiti fatigatum recrearet. Exorciſo te, & per Jeſum Chriſtum filium ejus unicum, Dominum noſtrum, qui te in Cana Galilææ, ſigno admirabili, ſua potentia convertit in vinum; qui ſuper te pedibus ambulavit, & a Joanne in Jordane in te baptizatus eſt; qui te una cum ſanguine de latere ſuo produxit, & diſcipulis ſuis juſſit, ut credentes baptizarent in te, dicens: Ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti; ut efficiaris aqua ſancta, aqua benedicta, aqua, quæ lavat ſordes &

mundat peccata. Tibi igitur præcipio, omnis Spiritus immunde, omne phantaſma, omne mendacium eradicare & effugare ab hac creatura aquæ, ut, qui in ipſa baptizandi erunt, fiat eis fons aquæ ſalientis in vitam æternam, regenerans eos Deo Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, in nomine ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. Amen.

Oremus.

Domine ſancte, Pater omnipotens æterne Deus, aquarum Spiritualium ſanctificator, te ſuppliciter deprecamur, ut ad hoc miniſterium humilitatis noſtræ reſpicere digneris, & ſuper has aquas abluendis, & purificandis hominibus præparatas, Angelum ſanctitatis emittas, quo peccatis vitæ prioris ablutis, reatuque deterſo, purum ſancto Spiritui habitaculum regenerati effici mereantur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate ejuſdem Spiritus &c.

Tunc ſufflet ter in aquam verſus tres partes ſecundum hanc figuram ✠ deinde imponit incenſum in thuribulo, & fontem incenſat. Poſtea infundens de oleo Catechumenorum in aqua in modum Crucis, clara voce dicit:

Sanctificetur & fæcundetur fons iſte oleo ſalutis renaſcentibus ex eo in vitam æternam, in nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ ſancti. ℟. Amen.

Deinde infundit de Chriſmate, modo, quo ſupra, dicens: Infuſio Chriſmatis Domini Jeſu Chriſti, & Spiritus ſancti paracliti fiat in nomine ſanctæ Trinitatis. Reſp. Amen.

Poſtea accipit ambas ampullas dicti Olei ſancti, & Chriſmatis, & de utroque ſimul in modum Crucis infundendo, dicit:

Commixtio Chriſmatis ſanctificationis, & olei unctionis, & aquæ baptiſmatis pariter fiat, in nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ ſancti. ℟. Amen.

Tum depoſita ampulla, dextera manu Oleum ſanctum & Chriſma infuſum miſcet cum aqua, & ſpargit per totum fontem. Deinde medulla panis manum tergit, & ſi quis baptizandus eſt, eum baptizat, ut ſupra. Quod, ſi neminem baptizat, ſtatim manus abluat, & ablutio effundatur in ſacrarium.

BENEDICTIO DOMUS.

In Vigilia Nativitatis Domini.

Juxta conſuetudinem locorum uno, vel tribus diebus benedicendi.

Sacerdos ingrediens domum dicat:

Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea.

Deinde accedens ad locum præcipuum domus dicit Antiphonam:

Cum eſſet deſponſata Mater Jeſu Maria Joſeph, antequam convenirent, inventa eſt in utero habens de Spiritu ſancto, quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt, Alleluja.

Magnificat anima mea Dominum &c.

Dum dicitur Magnificat, circuit, domum eam aſpergendo aqua benedicta, & incenſo adolet in fine, in loco apto conſiſtens repetit Antiph. Cum eſſet &c. Pater noſter &c.

Verſ. Et ne nos inducas in tentationem.
Reſp. Sed libera nos a malo.
Verſ. Hodie ſcietis, quia veniet Dominus.
Reſp. Et mane videbitis gloriam ejus.
Verſ. Domine exaudi orationem meam.
Reſp. Et clamor meus ad te veniat.
Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui hanc ſacratiſſimam noctem veri luminis, feciſti illuſtratione clareſcere: da quæſumus, ut cujus lucis myſteria in terris cognovimus, ejus quoque gaudiis in cœlo perfruamur. Per eumdem Dominum noſtrum &c.

Ubi ſunt Clerici, poterit cantari Reſponſorium.

Judæa & Jeruſalem nolite timere, cras egrediemini, & Dominus erit vobiscum: Emmanuel, quem prædixit Gabriel natum de pura Virgine, erit vobiscum.

Verſ.

Verſ. Conſtantes eſtote, videbitis auxilium Domini ſuper vos.

Reſp. Cras egrediemini, & Dominus erit vobiscum: Emmanuel, quem prædixit Gabriel natum de pura Virgine, erit vobiscum.

IN FESTO S. STEPHANI.

BENEDICTIO AVENÆ.

Habetur etiam prolixe in Sacerdotali Romano, & in hac Provincia antiquitus die feſto S. Stephani obſervatur: fiat hoc modo:

Verſ. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
Reſp. Qui fecit cœlum & terram.
Verſ. Domine exaudi orationem meam.
Reſp. Et clamor meus ad te veniat.
Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Domine Deus omnipotens, creator cœli & terræ, Rex regum, & Dominus dominantium, exaudi nos famulos tuos clamantes & orantes ad te, qui omnia de nihilo creaſti, & hoc pabulum cum cæteris creaturis ad uſum animalium, & ad eorum nutrimentum feciſti, quæ quidem animalia in adjutorium & ſuſtentationem hominum creaſti: quique hodierna die petitionem ſancti Stephani Protomartyris adimpleſti: te humiliter deprecamur, ut hanc creaturam avenæ,

qua ad uſus animalium & ſanitatem eorum feciſti, per invocationem ſancti nominis tui, & interceſſionem Beatæ Mariæ ſemper Virginis genitricis tuæ, & per merita Beati Stephani Protomartyris tui, cujus feſtum hodie recolimus; & per preces omnium Sanctorum bene ✠ dicere & ſancti ✠ ficare digneris, ut animalia, quæ ex ea guſtaverint, ſanitatem integraliter recipiant, per te JEſu Chriſte, cujus ſolo verbo omnia reſtaurantur, Salvator mundi, Rex æternæ gloriæ. Qui in Trinitate perfecta cum Patre & ſancto Spiritu vivis & regnas, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Oremus.

Deus, qui temporibus Eliæ Prophetæ, cœlum a nubibus reſtringendo clauſiſti, & rurſum aperiendo te mirabilem oſtendiſti: exaudi preces plebis tuæ per Unigenitum tuum, quem conſubſtantialem, & coæqualem tibi in Divinitate credimus, & per Spiritum ſanctum Paraclitum, quem ab utroque procedere confitemur, & per merita Beatiſſimi Protomartyris Stephani, cujus hodie feſtum celebramus, ut bene ✠ dicas & ſancti ✠ fices hanc avenam; ut quæcunque animalia ex ea guſtaverint, adjutorium ſanitatis & incolumitatis recipiant per te Domine ſancte Pater, qui cum Filio & Spiritu ſancto vivis & regnas, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Et

Et benedictio Dei Pa✠tris omnipotentis, & Fi✠lii & Spiritus ✠ ſancti, deſcendat ſuper hanc creaturam avenæ. Reſp. Amen.

Deinde aſpergatur aqua benedicta.

IN FESTO S. JOANNIS EVANGELISTÆ.

BENEDICTIO VINI.

In Feſto S. Joannis Evangeliſtæ, poſt Miſſam majorem ante Evangelium: In principio. Quod tunc omittitur per Sacerdotem celebrantem, retentis omnibus paramentis, vinum a populo oblatum, nec non alius potus in memoriam & honorem S. Joannis, qui venenum innocue ſumpſit, benedicitur hoc modo:

Verſ. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
Reſp. Qui fecit cœlum & terram.
Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.
Verſ. Initium ſancti Evangelii ſecundum Joannem.
Reſp. Gloria tibi Domine.

In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud DEum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt. In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo miſſus a Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit

venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, ſed ut teſtimonium perhiberet de lumine: Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit. In propria venit, & ſui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in *nomine* ejus, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Et Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis. Et vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti a Patre, plenum gratiæ & veritatis. Reſp. Deo gratias.

Oremus.

Per iſtos ſermones ſancti Evangelii, & per merita ſancti Joannis Apoſtoli & Evangeliſtæ, bene✠dicere & conſe✠crare digneris Domine Deus, dextera tua hunc calicem vini, & cujuslibet potus: & præſta, ut omnes in te credentes, & de calice iſto bibentes, benedicantur & protegantur. Et ſicut Beatus Joannes de calice bibens venenum, illæſus omnino permanſit; ita iſti hodie in amore tuo, & Beati Joannis, de calice iſto bibentes meritis ipſius ab omni ægritudine veneni, & noxiis quibusvis abſolvantur; & corpore ac anima ſe offerentes, ab omni culpa liberentur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Bene ✠ dic Domine, hanc creaturam potus, ut ſit remedium ſalutare omnibus ſumentibus: & præſta, per invocationem ſancti nominis tui, ut quicunque ex eo guſtaverint, tam animæ, quam corporis ſanitatem, te donante, percipiant. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Concludendo.

Et benedictio Dei omnipotentis Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ ſancti, deſcendat ſuper hanc creaturam vini & cujuslibet potus, & maneat ſemper.

Poſtremo aqua benedicta aſpergat.

Quod, ſi benedictio illa fiat privatim extra Miſſam, Sacerdos ſuperpelliceo & ſtola indutus, eam ſuper altare tectum conficiat, ſecundum eandem formulam incipiendo: Adjutorium noſtrum &c. ut ſupra, uſque ad finem. Niſi, quod in locum Evangelii: In principio erat Verbum &c. ſubſtituat Evangelium ſequens.

In illo tempore: Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ, & erat Mater Jeſu ibi. Vocatus eſt autem & Jeſus, & diſcipuli ejus ad nuptias. Et deficiente vino, dicit Mater Jeſu ad eum: Vinum non habent. Et dicit ei Jeſus: Quid mihi & tibi eſt mulier? Nondum venit hora mea. Dicit Mater ejus miniſtris: quodcunque dixerit vobis, facite. Erant autem ibi lapidiæ hydriæ ſex poſitæ, ſecundum purificationem Judæorum: capientes ſingulæ metretas binas vel ternas.

nas. Dicit eis Jeſus: Implete hydrias aqua. Et impleverunt eas uſque ad ſummum. Et dicit eis Jeſus: Haurite nunc, & ferte architriclino. Et tulerunt. Ut autem guſtavit architriclinus aquam vinum factam, & non ſciebat unde eſſet; miniſtri autem ſciebant, qui hauſerant aquam: vocat ſponſum architriclinus, & dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id, quod deterius eſt. Tu autem ſervaſti bonum vinum uſque adhuc. Hoc fecit initium ſignorum Jeſus in Cana Galilææ, & manifeſtavit gloriam ſuam. Et crediderunt in eum diſcipuli ejus.

IN PROFESTO CIRCUMCISIONIS DOMINI.

Sacerdos ingrediens domum dicat:

Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea.

Antiphona.

Magnum hæreditatis myſterium, templum Dei factus eſt uterus neſciens virum; Non eſt pollutus, ex ea carnem aſſumens: omnes gentes venient dicentes gloria tibi Domine, Alleluja.

Canticum. Magnificat &c.

Aſpergitur & incenſatur domus, ut ſupra. In fine Magnum hæreditatis myſterium &c.

Pater noſter &c.

Verſ. Et ne nos inducas in tentationem.

Reſp Sed libera nos a malo.

Verſ.

Verſ. Vocatum eſt nomen ejus JEſus.
Reſp. Omne genuflectatur cœleſtium, terreſtrium & infernorum.
Verſ. Domine exaudi orationem meam.
Reſp. Et clamor meus ad te veniat.
Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui ſalutis æternæ Beatæ Mariæ Virginitate fæcunda, humano generi præmia præſtitiſti: tribue quæſumus, ut ipſam pro nobis intercedere ſentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ ſuſcipere. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Reſp. Amen.

Reſponſorium: Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, quaſi unigeniti a Patre, plenum gratiæ & veritatis.

Verſ. In principio erat Verbum: & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.

Reſp. Plenum gratia & veritate.

IN VIGILIA EPIPHANIÆ.

Benedictio ſolemnis Salis & Aquæ.

Ex Rit. in Concil. Trid. edito deſumpta.

Sciendum eſt, hanc aquæ benedictionem, jam olim conſuetam, & ab ipſo D. Joanne Chryſoſtomo, in Homil. de Baptiſmo Chriſti, commendatam fuiſſe, ut inter alios memi-

nit P. Gretſerus L. 2. Bened. c. 10. eſſeque miræ virtutis contra diabolum & omnes infirmitates, atque præſtigias.

Sacerdos itaque indutus ſacris veſtibus, & pluviali, cum Miniſtris cereos, Crucem & thuribulum, cum incenſo portantibus, vadit ad locum, ubi alveus cum aqua locatus eſt: In progreſſu dicit:

Reſp. Hodie cœli aperti ſunt, & mare dulce factum eſt, terra exultat: montes & colles lætantur: Quia a Joanne in Jordane Chriſtus baptizatus eſt.

Verſ. Quid eſt tibi mare, quod fugiſti, & tu Jordanis, quia converſus es retrorſum?

Reſp. Quia a Joanne in Jordane Chriſtus baptizatus eſt.

Finito Reſponſorio, ante alveum aquæ Sacerdos dicat:

Antiph. Vox Domini ſuper aquas, Alleluja: Deus majeſtatis intonuit, Alleluja.

Pſalmus 28.

Afferte Domino filii Dei: afferte Domino filios arietum.

Afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini ejus: adorate Dominum in atrio Sancto ejus.

Vox Domini ſuper aquas, Deus majeſtatis intonuit: Dominus ſuper aquas multas.

Vox Domini in virtute: vox Domini in magnificentia.

Vox

Vox Domini confringentis cedros: & confringet Dominus cedros libani.

Et comminuet eas, tanquam vitulum libani: & dilectus quemadmodum filius unicornium.

Vox Domini intercidentis flammam ignis: vox Domini concutientis deſertum, & commovebit Dominus deſertum Cades.

Vox Domini præparantis cervos, & revelabit condenſa: & in templo ejus omnes dicent gloriam.

Dominus diluvium inhabitare facit: & ſedebit Dominus rex in æternum.

Dominus virtutem populo ſuo dabit: Dominus benedicet populo ſuo in pace. Gloria Patri &c.

Antiph. Vox Domini &c. reaſſumitur.

Antiph. In Eccleſiis benedicite Dominum Alleluja: de fontibus Iſrael, Alleluja.

Pſalmus 67.

Exſurgat Deus, & diſſipentur inimici ejus: & fugiant, qui oderunt eum a facie ejus.

Sicut deficit fumus deficiant: ſicut fluit cera a facie ignis, ſic pereant peccatores a facie Dei.

Et juſti epulentur, & exultent in conſpectu Dei: & delectentur in lætitia.

Cantate Deo, pſalmum dicite nomini ejus: iter facite ei, qui aſcendit ſuper occaſum: Dominus nomen illi.

Exultate in conſpectu ejus: turbabuntur a facie ejus patris orphanorum, & judicis viduarum.

Deus in loco ſancto ſuo: Deus, qui inhabitare facit unius moris in domo.

Qui educit vinctos in fortitudine: ſimiliter eos, qui exaſperant, qui habitant in ſepulchris.

Deus, cum egredereris in conſpectu populi tui: cum pertransires in deſerto.

Terra mota eſt, etenim cœli diſtillaverunt a facie Dei Sinai: a facie Dei Iſrael.

Pluviam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ: & infirmata eſt, tu vero perfeciſti eam.

Animalia tua habitabunt in ea: paraſti in dulcedine tua pauperi Deus.

Dominus dabit verbum evangelizantibus: virtute multa.

Rex virtutum dilecti dilecti: & ſpeciei domus dividere ſpolia.

Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ: & poſteriora dorſi ejus in pallore auri.

Dum diſcernit cœleſtis reges ſuper eam, nive dealbabuntur in Selmon: Mons Dei, mons pinguis.

Mons coagulatus, mons pinguis: ut quid ſuſpicamini montes coagulatos?

Mons, in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem.

Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: Dominus in eis in Sina in ſancto.

Aſcendiſti in altum, cepiſti captivitatem: accepiſti dona in hominibus.

Etenim non credentes: inhabitare Dominum DEum.

Benedictus Dominus die quotidie: proſperum iter faciet nobis Deus ſalutarium noſtrorum.

Deus noſter, Deus ſalvos faciendi: & Domini Domini exitus mortis.

Verumtamen Deus confringet capita inimicorum ſuorum: verticem capilli perambulantium in delictis ſuis.

Dixit Dominus, ex Baſan convertam: convertam in profundum maris.

Ut intingatur pes tuus in ſanguine: lingua canum tuorum ex inimicis ab ipſo.

Viderunt ingreſſus tuos Deus: ingreſſus Dei mei: Regis mei, qui eſt in ſancto.

Prævenerunt principes conjuncti pſallentibus: in medio juvencularum tympaniſtriarum.

In Eccleſiis benedicite Deo Domino: de fontibus Iſrael.

Ibi Benjamin adoleſcentulus: in mentis exceſſu.

Principes Juda duces eorum: principes Zabulon, principes Nephtali.

Manda Deus virtuti tuæ: confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.

A templo tuo in Jeruſalem: tibi offerent reges munera.

In-

Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum: ut excludat eos, qui probati ſunt argento.

Diſſipa gentes, quæ bella volunt, venient legati ex Ægypto: Æthiopia præveniet manus ejus Deo.

Regna terræ cantate Deo: pſallite Domino.

Pſallite Deo, qui aſcendit ſuper cœlum cœli: ad orientem.

Ecce dabit voci ſuæ vocem virtutis, date gloriam Deo ſuper Iſrael: magnificentia ejus, & virtus ejus in nubibus.

Mirabilis Deus in Sanctis ſuis, Deus Iſrael ipſe dabit virtutem, & fortitudinem plebi ſuæ: Benedictus Deus.

Gloria Patri &c.

Iterum reaſſumitur Antiphona.

Antiph. Ipſe liberavit me, Alleluja: de laqueo venantium. Alleluja.

Pſalmus 90.

Qui habitat in adjutorio Altiſſimi: in protectione Dei cœli commorabitur.

Dicet Domino, ſuſceptor meus es tu: & refugium meum: Deus meus, ſperabo in eum.

Quoniam ipſe liberavit me de laqueo venantium: & a verbo aſpero.

Scapulis ſuis obumbrabit tibi: & ſub pennis ejus ſperabis. Scuto

Scuto circumdabit te veritas ejus: non timebis a timore nocturno.

A ſagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris: ab incurſu & dæmonio meridiano.

Cadent a latere tuo mille, & decem millia a dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.

Verumtamen oculis tuis conſiderabis: & retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es Domine ſpes mea: altiſſimum poſuiſti refugium tuum.

Non accedet ad te malum: & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam Angelis ſuis mandavit de te: ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te: ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aſpidem & baſiliscum ambulabis: & conculcabis leonem & draconem.

Quoniam in me ſperavit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.

Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum: & oſtendam illi ſalutare meum.

Gloria Patri &c.

Iterum reaſſumitur Antiph. Ipſe liberavit me.

Quibus finitis Sacerdos in medium chori procedens, dicit:

Verſ. Exaudi nos Domine.

Reſp. Quoniam benigna eſt miſericordia tua: & ſecundum multitudinem miſerationum tuarum reſpice nos Domine.

Verſ. Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ.

Reſp. Uſque ad animam meam.

Verſ. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.

Reſp. Sicut erat in principio &c.

Verſ. Exaudi nos Domine.

Reſp. Quoniam benigna eſt &c. ut ſupra. uſque ad Gloria Patri &c. inclusive.

Deinde dicuntur Litaniæ.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miſerere nobis.
Spiritus S. Deus, miſerere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miſerere nobis.
Sancta Maria, ora pro nobis.
S. Dei Genitrix, ora pro nobis.
S. Virgo Virginum, ora pro nobis.
S. Michael, ora pro nobis.
S. Gabriel, ora pro nobis.
S. Raphael, ora pro nobis.
Omnes SS. Angeli & Archangeli, orate pro nobis.
Omnes SS. Beatorum Spirituum Ordines, orate pro nobis.
Sancte Joannes Baptiſta, ora pro nobis.
Sancte Joſeph, ora pro nobis.
Omnes SS. Patriarchæ & Prophetæ, orate pro nobis.
S. Petre, ora pro nobis.

S.

S. Paule, ora pro nobis.
S. Joannes, ora pro nobis.
S. Marce, ora pro nobis.
Omnes SS. Apoſtoli & Evangeliſtæ, orate pro nobis.
S. Stephane, ora pro nobis.
S. Laurenti, ora pro nobis.
S. Vincenti, ora pro nobis.
S. Theodore, ora pro nobis.
Omnes SS. Martyres, orate pro nobis.
S. Sylveſter, ora pro nobis.
S. Gregori, ora pro nobis.
S. Martine, ora pro nobis.
S. Auguſtine, ora pro nobis.
Omnes SS. Pontifices & Confeſſores, orate pro nobis.
S. Benedicte, ora pro nobis.
S. Dominice, ora pro nobis.
S. Franciſce, ora pro nobis.
S. Antoni, ora pro nobis.
Omnes SS. Monachi & Eremitæ, orate pro nobis.
S. Maria Magdalena, ora pro nobis.
S. Agnes, ora pro nobis.
S. Agatha, ora pro nobis.
S. Urſula cum toto comitatu, ora pro nobis.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, intercedite pro nobis.
Propitius eſto, parce nobis Domine.
Propitius eſto, exaudi nos Domine.
Ab omni malo, Libera nos Domine.
Ab omni peccato, Libera nos Domine.
A morte perpetua, Libera nos Domine.
Per myſterium S. Incarnationis tuæ, Libera nos Domine.
Per Adventum tuum, Libera nos Domine.
Per Nativitatem tuam, Libera nos Domine.

Per Baptiſmum & ſanctum Jejunium tuum, Libera nos &c.
Per Crucem & Paſſionem tuam, Libera nos Domine.
Per Mortem & Sepulturam tuam, Libera nos Domine.
Per ſanctam Reſurrectionem tuam, Libera nos Domine.
Per admirabilem Aſcenſionem tuam, Libera nos Domine.
Per Adventum Spiritus ſancti Paracliti, Libera nos Domine.
In die judicii, Libera nos Domine.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut nobis parcas, Te rogamus audi nos.
Ut nobis indulgeas, Te rogamus audi nos.
Ut Eccleſiam tuam ſanctam regere & conſervare digneris, Te rogamus audi nos.
Ut Domnum Apoſtolicum, & omnes Eccleſiaſticos Ordines in ſancta Religione conſervare digneris, Te rog. audi nos.

Hic Sacerdos, qui facit officium, exſurgens in medio, dicat hos tres Verſ. gradatim erigendo vocem.

Ut hanc aquam bene † dicere digneris,
Ut hanc aquam bene † dicere & ſancti † ficare digneris,
Ut hanc aquam bene † dicere & ſancti † ficare & conſe † crare digneris,
Ut nosmetipſos in tuo ſancto ſervitio confortare & conſervare digneris,
Ut omnibus benefactoribus noſtris ſempiterna bona retribuas,
Ut fructus terræ nobis dare & conſervare digneris,
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris,
Ut nos exaudire digneris,
} Te rogamus audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Done.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis.
Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.

Kyrie

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon. Pater noſter.

Verſ. Et ne nos inducas in tentationem.
Reſp. Sed libera nos a malo.
Verſ. Salvos nos fac Domine Deus noſter.
Reſp. Et congrega nos de nationibus.
Verſ. Ut confiteamur nomini ſancto tuo.
Reſp. Et gloriemur in laude tua.
Verſ. Benedictus Dominus Deus Iſrael a ſæculo.
Reſp. Et uſque in ſæculum, fiat, fiat.

Hic ſufflet in aquam tribus vicibus, dicendo:

Exſuffio te omnis legio ſatanæ. In nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ ſancti. Amen.

Exorciſmus Aquæ.

Exorcizo te creatura aquæ: in nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ ſancti: ne communices ulli ſpiritui immundo: dabis honorem viventi, atque regnanti, Patri, & Filio, & Spiritui ſancto: ut ubicunque aſperſa fueris, ſpiritus immundus ab eo loco recedat. Itemque adjuro te, creatura aquæ, in nomine Jeſu Chriſti Nazareni, Filii Dei vivi, Regis & Judicis noſtri: ut ſis purgatio & ſanctificatio hominum, quos Deus ad ſuam ſanctam gratiam vocare dignatus eſt. Te ergo invoco Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus: ut hanc aquam exorcizare & bene✠dicere pro tua pietate digneris: ut omnis immundus Spiritus locum in ea ultra non habeat,

vel poteſtatem: ſed ubicunque aſperſa fuerit, Angelorum tuorum ibi deſcendat exercitus. Per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. Reſp. Amen.

Lectio Libri Numeri cap. 20.

In diebus illis: convenerunt filii Iſrael adverſum Moyſen & Aaron, & verſi in ſeditionem, dixerunt: Da nobis aquam, ut bibamus. Ingreſſusque Moyſes & Aaron, dimiſſa multitudine, in tabernaculum fœderis corruerunt proni in terram: clamaveruntque ad Dominum, atque dixerunt: Domine Deus exaudi clamorem hujus populi, & aperi eis theſaurum tuum, fontem aquæ vivæ, ut ſatiati, ceſſet murmuratio eorum: & apparuit gloria Domini ſuper eos.

Tractus. Ultimo feſtivitatis die dicebat Jeſus: qui in me credunt: flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ, hoc autem dixit de ſpiritu, quem accepturi erant credentes in eum, Alleluja, Alleluja.

Verſ. Qui ſitit, veniat ad me, & bibat: & de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de ſpiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Alleluja.

Reſp. Vox Domini ſuper aquas, Deus majeſtatis intonuit: Vox Domini ſuper aquas multas.

Verſ. Dominus vobiscum.

Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Verſ. Sequentia S. Evangelii ſecundum Joann.

Reſp Gloria tibi Domine.

Cap.

Cap. 7.

In illo tempore: in noviſſimo autem die magno feſtivitatis, ſtabat Jeſus & clamabat dicens: Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de ſpiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Reſp. Laus tibi Chriſte.

Exorciſmus Aquæ.

Exorcizo te creatura aquæ, per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ ſanctum: per Deum totius creatorem: ut te mundam exhibeas contra omnem morbum, atque inſidias inimici, & diabolicas poteſtates. Ut ubicunque aſperſa fueris, ſit propitio Deo defenſa domus ipſa. Et ſicut defenſæ fuerunt in Ægypto domus Hebræorum per ſignum ſanguinis Agni: ſic defendantur Domine domus famulorum, famularumque tuarum per aſperſionem hujus aquæ. In ipſius nomine te exorcizo, qui verbo ſuo fontem te manare præcepit. Et in ipſius nomine te exorcizo, qui filios Iſrael per medium maris eduxit. In ipſius nomine te exorcizo: qui ſuper te ſuis Sanctis pedibus ambulavit. Et in ipſius nomine te exorcizo, quem Joannes in te baptizavit: ut omnis ſpiritus erroris, & omnes phantaſiæ dæmonum per te aſperſæ effugiant, & ſeparentur de eodem loco. Per eundem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui venturus eſt judicare vivos &c. Reſp. Amen.

Exorciſmus alius Aquæ.

Exorcizo te creatura aquæ, in nomine Dei Pa✠tris omnipotentis, & in nomine Domini noſtri Jeſu ✠Chriſti: ut omnis immundus Spiritus, vel incurſio ſatanæ ſeparetur a te creatura aquæ. Proinde ergo efficere aqua exorcizata ad effugandum omne phantaſma inimici: & ipſum inimicum eradicare, & effugare valeas in nomine Dei Pa✠tris omnipotentis; qui cum eodem filio ſuo & Spiritu ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Reſp. Amen.

Oremus.

Bene✠dic Domine hanc aquam bene✠dictione cœleſti, & aſſiſtat ſuper eam virtus Spiritus ✠ ſancti, ut ubicunque aſperſa fuerit, longe recedat virtus inimicorum, umbra phantaſmatum, incurſio turbinum, percuſſio fulminum, læſio tonitruorum, calamitas tempeſtatum: omnis denique Spiritus procellarum te ipſo benedicente effugetur. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Reſp. Amen.

Oratio ſuper ſalem legenda mediocri voce

Virtutis tuæ invictam fortitudinem deprecor, Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, ſuper hoc Sal, cui non minimam gratiam conferre dignatus es: ut ex illo poſſint univerſa condiri, quæ hominibus ad eſcam per tuum Filium Dominum noſtrum

ſtrum procreari juſſiſti: per quem te Domine ſuppli-ces exoramus, ut Sal iſtud ſancti ✠ ficare & bene ✠ dicere, & conſe ✠ crare pro tua pietate digneris, ut ex vultu divinæ majeſtatis tuæ virtutem tuam contra omnes immundos Spiritus poſſit accipere. Expellat de tabernaculis famulorum famularumque tuarum, quidquid poteſt peſtiferum eſſe, & exhibeat plenum ſalutis effectum. Deterreat præſtigias, phantaſma-taque compeſcat, per ſignum S. Cru ✠ cis (hic manu imprimat Crucem in Salem) Filii tui Domini noſtri, & tutelam fideliſſimam deſiderantibus præſtet, per hoc tuum Domine Jeſu Chriſte ſigna ✠ culum, quod nullius dolus, nullius pertinacia deſignavit. Reſp. Amen.

WRP Opole

Alia Benedictio Salis.

Benedico te creatura Salis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ✠ ſancti, qui te ad tutelam humani generis procreavit, & populo venienti ad credulitatem, per ſervos conſecrari præcepit. Proinde rogamus te Domine Deus noſter: ut hæc creatura Salis, in nomine S. Trinitatis, efficiatur ſalu-tare Sacramentum: ſitque perfecta medicina in vis-ceribus fidelium tuorum. Per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. Reſp. Amen.

E Ore-

Oremus.

Intuere Domine hanc creaturam Salis: quam uſibus humani generis tribuiſti: Et petimus omnipotens æterne Deus, per ſignum Cru ✠ cis unigeniti Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti: ut ubicunque aſperſa fuerit aqua hoc ſale commixta, ſit efficax ad evacuandam omnem adverſariam poteſtatem inimici. Conſumat & arefaciat: nihilque ibi remaneat immundum, nihil peſtiferum: ſed ad invocationem nominis tui, ſit nobis mundum, ac benedictum. Per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. Reſp. Amen.

Exorciſmus Salis.

Exorcizo te creatura Salis: per Deum ✠ verum, per Deum ✠ ſanctum, per Deum ✠ totius Creatorem, per eum, qui te per Eliſæum Prophetam in aquam mitti juſſit, ut ſanaretur ſterilitas aquæ. Qui per Apoſtolum Paulum dicere dignatus eſt: ſit cor noſtrum Sale conditum. Ideoque efficere Sal ad exorcizandum, ad evacuandum & expellendum *inimicum*, omnemque virtutem & putredinem ejus, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. Reſp. Amen.

Ore-

Oremus.

Dominus & Salvator noſter Jeſus, antequam ad cœlos aſcenderet, Apoſtolis ſuis mandavit, dicens: Habete in vobis Sal: & pacem habete inter vos. Hic ponat Sal in aquam dicens: Hæc commixtio Salis & aquæ pariter fiat, in nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ ſancti, & in virtute Domini noſtri Jeſu Chriſti: cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Reſp. Amen.

Exorciſmus Salis & Aquæ.

Exorcizo te creatura Salis & Aquæ: in nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ ſancti. Exorcizo te per Deum vivum. Exorcizo te per Crucifixum. Exorcizo te per Spiritum ſanctum. Per eum te exorcizo, qui te per Eliſæum Prophetam in aquam mitti juſſit, dicens: Hæc dicit Dominus: Sanabitur aqua iſta: & non erit in ea mors, neque ſterilitas. Per ipſius nomen te adjuro: qui divina voce oris ſui Apoſtolis ſuis locutus eſt, dicens: Vos eſtis Sal terræ: & cor veſtrum ſit Sale conditum: ut omnes, qui ex te ſumpſerint, ſint ſanctificati in animabus & corporibus: ut ubicunque aſperſa fueris, effuges inimicum, & præſtes omnibus remiſſionem peccatorum: expellas inſidias, & excludas omnes demonum tentationes. Tu autem conditor & reſtaurator omnium elementorum tuorum, qui hæc fluenta tuo

nomine ſanctificata, ad purgationem locorum proficere juſſiſti, deprecor: ut nominis tui invocata majeſtate, gratiam Spiritus ſancti hæc aqua accipiat: valeatque ad expellendas diabolicas artes, per manus ſervorum tuorum aſperſa, & per ſanctificationem, quam tu Domine ſanctificando ſanctificas & benedicendo benedicis: ut omnis immundus ſpiritus, aſperſione hujus aquæ repulſus, & confuſus diſcedat, & omnis incurſus ſatanæ & omne phantaſma; omnisque immunditia & putredo inimicorum longe recedat. Nec conſiſtendi, aut reſiſtendi habeat poteſtatem, nec in eodem loco ſtandi, aut commorandi, ſed victus & deſtructus diſcedat diabolus, cum omni pompa ſua. Per virtutem & gloriam Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. Reſp. Amen.

Sequitur.

Exorcizo te creatura Aquæ Sale conſperſa: per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ totius Creatorem, qui te in principio ſeparavit ab arida, & in quatuor fluminibus dividere dignatus eſt. Ut ubicunque portata, vel aſperſa fueris, effugetur, & ſeparetur inimicus & omnis putredo ejus. Ut ſit ipſa domus Deo dicata. Per virtutem Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos &c. Reſp. Amen.

Iterum ſuper Aquam.

Te autem creatura aquæ adjuro, per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ ſanctum; per eum te adjuro, qui te in principio ſeparavit ab arida. Adjuro te per Deum vivum, qui te de fonte paradiſi manare fecit. (Hic dividat aquam in quatuor partes) & in quatuor fluminibus exire juſſit, & totam terram rigare præcepit. Adjuro te per eum, qui te in Cana Galilææ ſua potentia convertit in vinum: qui ſuper te ſuis ſanctis pedibus ambulavit, qui tibi nomen impoſuit Siloe. Adjuro te per eum, qui in te Naamam Syrum a ſua lepra per manum Eliſæi Prophetæ mundavit, Aqua ſan✠cta, Aquà bene✠dicta. Aqua (hic tangat aquam manu, dicens) lavans ſordes, & mundans peccata. Adjuro te per Deum vivum, ut te mundam exhibeas, nec aliquam phantaſiam in te retineas: ſed efficiaris exorcizata, ad effugandum inimicum & omnes actus fulguris: ut ubicunque aſperſa fueris, ſive in domo, ſive in agro, ſive in vineis, ſive in ſeminatis campis, ſive in fructibus, ſive in angulis cubiculorum, ſive in navibus, ſive in puteis, vel, ſi quis ex te guſtaverit, fias ei defenſio & remedium ſanitatis. Ipſe quoque diabolus elongetur & ſeparetur, quantum elongatum eſt cœlum a terra, lux a tenebris, veritas a mendacio, juſtitia ab injuſtitia, dulce ab amaro: tantum elongetur, & ſe-

paretur ille immundus ſpiritus ab habitationibus famulorum famularumque Dei. Per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat.

℣. Per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.
℣. Surſum corda.
℟. Habemus ad Dominum.
℣. Gratias agamus Domino Deo noſtro.
℟. Dignum & juſtum eſt.

Vere dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare. Nos tibi ſemper & ubique gratias agere. Domine Deus cœli & terræ: cujus virtuti ſubdita ſunt univerſa. Cujus verbo creata ſunt omnia. Supermitte quæſumus, virtutem Spiritus ſancti tui, ſuper hanc creaturam: ut fiat aqua ſanctificata in nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ ſancti. Te igitur omnipotens Deus, altiſſima ſalus & reſpector perpetuus, humiliter rogamus ac petimus: ut nos exaudias, & miſerearis precibus noſtris: quatenus ubicunque hæc aqua aſperſa fuerit, fiat te jubente cauſa purificationis. Habeat quoque perpetuam gratiam ipſa domus, fidem rectam, ſpem certam, charitatem perfectam, gaudium verum, honorem perpetuum: ut omnes malevoli & invidi Spiritus ab ea expellantur & ſeparentur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Mox

Mox ſubjungitur.

Iterumque te alloquor aqua, quæ lucis ſimilitudinem habes, tu ſub cœlo, tu ſuper cœlum, tu ſub terra, tu ſuper terram. Super te invoco nomen Sanctum atque mirabile Dei omnipotentis: qui te ſua potentia convertit in vinum, ſuſpendit ſuper cœlos, congregavit in terra, miſcuit in mari. Qui te arcanis & velocibus ventis pluere præcepit, & ad uſus hominum & lavacrum dedit, & ſitientibus potum ſubminiſtravit. Super aquam etiam Spiritus Domini non ſolum ferebatur; ſed etiam fertur. Adjuro ergo te creatura aquæ per ſeptiformem Spiritum Dei vivi. Adjuro te per novem ordines Angelorum. Adjuro te per vocem tonitrui coruſcantis tremendi & cœleſtis regis. Adjuro te per lignum myſterii: de quo aqua percuſſa, ſtatim dulcis facta eſt: Adjuro te per eum, qui omnia creavit, ne contemnas vocem humilitatis meæ: ſed expellas omnem umbram, omnes ſatellites adverſariorum, omnes machinationes diaboli, ſive ſpirituum immundorum, ſive biothanathorum, ſive errantium, ſive ex invocatione magicæ artis, ſive præcantatorum argumenta, ſive draconum & omnium volucrum vel viperarum, quia imperat tibi Dominus Jeſus Chriſtus Filius Dei vivi: quod mox, ut aſperſa fueris in nomine Dei Sabaoth: ſive in hominibus, ſive in domibus, ſive in vineis, ſive in pecoribus,

vel

vel in quibuslibet animantibus, ſive in ſeminatis campis, ſive ab hominibus conculcata fueris: ſive in navibus, ſive in mari, ſive in paludibus, ſive in qualicunque creatura, vel in quocunque loco aſperſa fueris, ſive ſuper infirmum, vel langventem, ſive in potum data fueris homini in valetudine detento, aut maligni Spiritus infeſtatione percuſſo, mox expellas & excludas omne malignum, ut poſſit homo velocius ſalvus fieri, per virtutem Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui neque dici, neque ſcribi, neque computari poteſt, cui nomen eſt Deus.

Tu autem Domine: qui per Angelum tuum fontem agar oſtendiſti, & ex eo Iſmaelem ſitientem potaſti. Qui pueri tui Abrahæ in Meſopotamia preces exaudiſti, & omnia deſideria cordis ejus impleſti. Qui famulo tuo Moyſi in deſerto eremi petram percutere, & ex ea aquam producere & populum rigare juſſiſti.

Hic miniſtro genuflexo crucem tenente, Sacerdos eam incenſat, & de manu miniſtri illam accipiens ter crucem in aquam immergit, & ter dicit ſequentem verſum.

Qui aquam amaram immiſſo ligno dulcoraſti: bene ✠ dicere & ſancti ✠ ficare digneris hanc creaturam aquæ, in nomine Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ ſancti.

Deinde dicat:

Antiph. Baptizatur Chriſtus, & ſantificatur omnis

nis mundus, & tribuit nobis remiſſionem peccatorum: aqua & Spiritu omnes purificamur.

Antiph. Baptizat miles regem, ſervus Dominum ſuum: Joannes Salvatorem: aqua Jordanis obſtupuit: columba proteſtatur, paterna vox audita eſt: hic eſt Filius meus.

Quibus expletis Crucem reddit Miniſtro eam incenſando & proſequitur.

Ut ubicunque aſperſa fuerit in nomine tuo, omnes ſævas inimici jaculationes expellat. Illud etiam rogamus & petimus, Deus omnipotens: ut ſicut ad domum Raguelis S. Angelum tuum Raphaelem mittere dignatus es: ut Aſmodæum dæmonem colligaret: ſimile quoque beneficium domibus noſtris donare digneris. Ut ubicunque hæc unda aſperſa fuerit: nunquam malignus ſpiritus in eadem domo conſiſtendi, vel commorandi habeat poteſtatem: ſed confuſus protinus & deſtructus abſcedat, per Chriſtum Dominum noſtrum, per quem majeſtatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt poteſtates: cœli cœlorumque virtutes, ac beata Seraphim, ſocia exultatione concelebrant. Cum quibus & noſtras voces, ut admitti jubeas, depræcamur: ſupplici confeſſione dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, pleni ſunt cœli & terra gloria tua: Oſanna in excelſis. Benedictus, qui venit in nomine Domini: Oſanna in excelſis. F

Exorciſmus.

Exorcizo te ſpiritus immunde per Deum vivum, qui fecit cœlum & terram, maria & omnia, quæ in eis ſunt: ut omnes virtutes adverſarii, omnes exercitus diaboli, omnes incurſus & omnia phantaſmata inimici eradicentur, & effugiant ab hac creatura ſalis & aquæ, ut ſit ſancta & ſalutifera, & ignis ardens adverſus omnes inſidias eorum. Ut ubicunque portata, vel aſperſa fuerit hæc creatura ſalis & aquæ: ſit ſanitas, ſinceritas & corporis medicina, ut effugiat omnis infirmitas. Fulgura quoque & grandines ab aſperſione hujus aquæ ſeparentur & effugiant, & elongentur. Per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. Reſp. Amen.

Oremus.

Vere ſanctus, vere benedictus, terribilis, metuendus & adorandus es Domine Deus noſter: ab occultis noſtris munda nos, & ab alienis parce ſervis tuis: ut cum fiducia valeamus dicere orationem illam regalem, quam Dominus & Salvator noſter per Evangelium ſuum orare docuit, dicens: Pater noſter, qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum: adveniat regnum tuum: fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra: Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, & dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debi-

debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem. Reſp. Sed libera nos a malo.

Libera nos, quæſumus Domine ab omnibus malis, præteritis, præſentibus & futuris. Libera nos, quæſumus Domine famulos & famulas tuas a gladio, a fame, a tentatione diaboli, a percuſſione ſæculi & ab infirmitatibus malis. Per liberatorem & redemptorem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Reſp. Amen.

Oremus.

Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, Deus Abraham, Deus Iſaac & Deus Jacob; exorcizante me iſtam creaturam ſalis & aquæ precor te: ut me exaudire digneris in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Nazareni, Filii Dei vivi, Regis & Judicis noſtri, ut ſit purgatio & purificatio omnibus hominibus, atque in eis, in quibus aſperſa fuerit, habeat poteſtatem ad effugandos immundos & phantaſmaticos ſpiritus, & omnem nefarium diabolum: atque omnes figuras & minas ſatanæ. Concedatur etiam ei poteſtas ad exterminandum fulgura & grandines, & omnes adverſitates humanæ naturæ, ut non poſſit immundus ſpiritus nocere his locis, in quibus aſperſa fuerit: ſed confuſus & deſtructus abſcedat. Per virtutem D. N. Je-

ſu Chriſti Regis. Qui cum Deo Patre vivit & regnat &c. Reſp. Amen.

Adjuro te creatura ſalis & aquæ: in nomine Patris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ ſancti. Adjuro te in nomine D. N. Jeſu Chriſti, qui ſuper te ſanctis pedibus ambulavit. Adjuro te per eum, qui te de fonte paradiſi produxit. Adjuro te per eum, qui Apoſtolis ſuis præcepit, dicens: Ite baptizate omnes gentes, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Per ipſius nomen te adjuro, ut, ubicunque aſperſa fueris, omne phantaſma de domo ipſa, & omnis incurſio diaboli eradicetur & effugiat, per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ totius creatorem. Ut neque hominibus, neque domiciliis, neque navibus, neque pecoribus, neque frugibus, neque arboribus noceas. Per eundem D. N. Jeſum Chriſtum. Qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. Reſp. Amen.

Oremus.

Deus, qui ad ſalutem humani generis maxima quæque Sacramenta in aquarum ſubſtantia condidiſti: adeſto propitius invocationibus noſtris, & elemento huic multimodis purificationibus præparato, virtutem tuæ Bene✠dictionis infunde: ut creatura tua myſteriis tuis ſerviens, ad abigendos dæmones, morbosque pellendos divinæ gratiæ ſumat effectum,

ut

ut quidquid in domibus, vel in locis fidelium hæc unda reſperſerit, careat omni immunditia, liberetur a noxa, non illic reſideat ſpiritus peſtilens, non aura corrumpens, diſcedant omnes inſidiæ latentis inimici, & ſi quid eſt, quod aut incolumitati habitantium invidet, aut quieti, aſperſione hujus aquæ effugiat, atque diſcedat, ut ſalubritas per invocationem tui nominis expetita, ab omnibus impugnationibus ſit defenſa. Per eum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. Reſp. Amen.

Benedictio Dei Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ ſancti, deſcendat ſuper hanc creaturam ſalis & aquæ. Reſp. Amen.

Subito Sacerdos recitat:

Credo in unum Deum. Quo finito, aſpergat populum aqua benedicta, dicendo:

Antiph. Aſperges me hyſſopo, & mundabor: lavabis me, & ſuper nivem dealbabor. Pſalm. 50. Miſerere mei Deus: ſecundum magnam miſericordiam tuam.

Verſ. Gloria Patri &c. Aſperges me, repetitur ut ſupra.
Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.
Verſ. Sequentia S. Evangelii ſecundum Lucam.
Reſp. Gloria tibi Domine.

Factum eſt autem cum baptizaretur omnis populus, & Jeſu baptizato & orante, apertum eſt cœlum, & deſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie ſicut columba in ipſum, & vox de cœlo facta eſt: Tu es fi-

lius meus dilectus, in te complacui mihi. Et ipſe Jeſus erat incipiens quaſi annorum triginta, ut putabatur filius Joſeph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat, qui fuit Levi, qui fuit Melchi, qui fuit Janne, qui fuit Joſeph, qui fuit Mathathiæ, qui fuit Amos, qui fuit Nahum, qui fuit Heli, qui fuit Nagge, qui fuit Mahath, qui fuit Mathathiæ, qui fuit Semei, qui fuit Joſeph, qui fuit Juda, qui fuit Joanna, qui fuit Reſa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri, qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Coſan, qui fuit Elmadam, qui fuit Her, qui fuit Jeſu, qui fuit Eliezer, qui fuit Jorim, qui fuit Mathat, qui fuit Levi, qui fuit Simeon, qui fuit Juda, qui fuit Joſeph, qui fuit Jona, qui fuit Eliakim, qui fuit Melea, qui fuit Menna, qui fuit Mathata, qui fuit Nathan, qui fuit David, qui fuit Jeſſe, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naaſſon, qui fuit Aminadab, qui fuit Aram, qui fuit Eſron, qui fuit Phares, qui fuit Judæ, qui fuit Jacob, qui fuit Iſaac, qui fuit Abrahæ, qui fuit Thare, qui fuit Nachor, qui fuit Sarug, qui fuit Ragau, qui fuit Phaleg, qui fuit Heber, qui fuit Sale, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem, qui fuit Noe, qui fuit Lamech, qui fuit Mathuſale, qui fuit Henoch, qui fuit Jared, qui fuit Malaleel, qui fuit Cainan, qui fuit Henos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei. JEſus autem plenus Spiritu ſancto regreſſus eſt a Jordane.

Reſp. Laus tibi Chriſte.

Quo

Quo finito dicitur: Te Deum Laudamus, uſque ad finem, deinde dicat Sacerdos:

Verſ. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam.
Reſp. Et ſalutare tuum da nobis.
Verſ. Domine exaudi orationem meam.
Reſp. Et clamor meus ad te veniat.
Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Exaudi nos Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, & mittere digneris ſanctum Angelum tuum de cœlis, qui cuſtodiat, foveat, protegat, viſitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Verſ. Exaudiat nos omnipotens & miſericors Dominas. Reſp. Amen.

BENEDICTIO CRETÆ.

IN EADEM VIGILIA EPIPHANIÆ.

Verſ. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
Reſp. Qui fecit cœlum & terram.
Verſ. Domine exaudi orationem meam.
Reſp. Et clamor meus ad te veniat.
Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Bene✠dic Domine DEus creaturam iſtam Crætæ, ut ſit ſalutaris humano generi, & præſta per invo-

vocationem nominis tui ſanctiſſimi, ut quicunque ex ea ſumpſerint, aut ea qualitercunque uſi fuerint, vel ea in domus ſuæ portis ſignum S. Crucis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & nomina SS. tuorum Caſpari, Melchioris, Balthaſaris inſcripſerint, per piiſſimam ejusdem D. N. Jeſu Chriſti bonitatem & miram ſacræ ipſius Crucis virtutem, atque Sanctorum tuorum interceſſionem & merita, depulſis procul omnibus inimici tentationibus, *inſidiis, maleficiis, pactis* & univerſis malis, corporis ſanitatem & animæ tutelam percipiant. Per eundem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum &c. Reſp. Amen.

Aſpergatur aqua benedicta.

Ad fovendam ſimul & incitandam fidelium devotionem, SS. Dominus noſter Benedictus XIII. omnibus & ſingulis utriusque ſexus Chriſti fidelibus, qui in pervigilio Epiphaniæ Domini hujusmodi aquæ benedictioni, quavis in Eccleſia illa fiat; devote adfuerint, centum indulgentiæ dies perpetuo eſt elargitus.

IN FESTO EPIPHANIÆ.

BENEDICTIO AURI, MYRRHÆ ET THURIS.

Verſ. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
Reſp. Qui fecit cœlum & terram.
Verſ. Domine exaudi orationem meam.
Reſp. Et Clamor meus ad te veniat.
Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Bene-

Bene✠dico te creatura Auri, Thuris & Myrrhæ, per Deum Patrem omnipotentem, per JESUM Chriſtum Filium ejus unicum & Spiritum Paraclitum, per omnia ſancta, ac ineffabilia nomina Dei, & per myſterium hujus ſanctæ diei: quæ eadem munera in titulum regalem & magnificentiam ſacerdotalem, ac ſepulturam Dominicam, tres Magi obtulerunt. Bene✠dico te, ut has virtutes in te ſuſcipias & in te ſemper teneas: ut quicunque te creaturam Auri, Thuris & Myrrhæ, ob reverentiam divinæ majeſtatis & ob corporis, ac animæ ſuæ ſalutem circa ſe geſtaverint, aut quocunque recto modo habuerint, divina eos protegente potentia, ab omni periculo corporis & animæ ſint tuti ubique: mortem ſubitaneam, & morbos omnes effugiant: hoſtiumque viſibilium & inviſibilium inſidias evadant, & omne deſiderium eorum proſperetur, & abſolvat eos Dominus ab omnibus triſtitiis, veneficiis & cunctis adverſitatibus. Per eundem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum &c.

Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.
Verſ. Benedicamus Domino.
Reſp. Deo gratias.

Et benedictio Dei Omnipotentis Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ ſancti deſcendat ſuper nos, & ſuper has creaturas, & maneat ſemper. Amen.

Poſtremo aqua benedicta aſpergat.

BENEDICTIO CANDELARUM,

extra diem Purificationis Beatæ Mariæ Virginis.

Verſ. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
Reſp. Qui fecit cœlum & terram.
Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Domine Jeſu Chriſte, Filii Dei vivi, bene ✠ dic candelas iſtas ſupplicationibus noſtris, infunde eis Domine per virtutem ſanctæ Crucis ✠ benedictionem cœleſtem, qui eas ad repellendas tenebras humano generi tribuiſti, talemque benedictionem ſignaculo ſanctæ Crucis ✠ accipiant, ut quibuscunque locis accenſæ, ſive poſitæ fuerint, diſcedant principes tenebrarum, & contremiſcant & fugiant pavidi cum omnibus miniſtris ſuis ab habitationibus illis nec præſumant amplius inquietare, aut moleſtare ſervientes tibi omnipotenti Deo. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Reſp. Amen.

Poſtmodum aſpergantur aqua benedicta.

Benedictio Candelarum in Feſto S. Blaſii.

Verſ. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
Reſp. Qui fecit cœlum & terram.
Verſ. Domine exaudi orationem meam.
Reſp. Et clamor meus ad te veniat.
Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Oremus.

Omnipotens & mitiſſime Deus, qui omnium mundi rerum diverſitates ſolo verbo creaſti, & ad hominum reformationem, illud idem verbum, per quod facta ſunt omnia, incarnari voluiſti: qui magnus es, & immenſus, terribilis, atque laudabilis, ac faciens mirabilia: pro cujus fidei confeſſione glorioſus Martyr, & Pontifex Blaſius, diverſorum tormentorum genera non paveſcens, martyrii palmam feliciter eſt adeptus: quique eidem inter cæteras gratias hanc prærogativam contuliſti; ut quoscunque gutturis morbos tua virtute curaret: Majeſtatem tuam ſuppliciter exoramus, ut non inſpectu reatus noſtri, ſed ejus placatus meritis & precibus hanc ceræ creaturam bene ✠ dicere, ac ſancti ✠ ficare tua venerabili pietate digneris tuam gratiam infundendo, ut omnes quorum colla, per eam ex bona fide tacta fuerint: a quocunque gutturis morbo ipſius paſſionis meritis liberentur: & in Eccleſia ſancta tua ſani & hilares tibi gratiarum referant actiones, laudentque nomen tuum glorioſum, quod eſt benedictum in ſæcula ſæculorum. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum &c.

Aſpergantur aqua benedicta. Deinde Sacerdos terminata Miſſa, depoſita caſula & manipulo, accenſis duobus cereis, ac in modum crucis aptatis: apponens illa ſub mento gutturi cujusvis benedicendorum, ipſis ante altare genuflectentibus, dicat:

Per interceſſionem S. Blaſii Epiſcopi & Martyris, liberet te DEus a malo gutturis & a quocunque alio. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Amen.

IN FESTO S. AGATHÆ.

Benedictio Panis & Aquæ, contra ignis periculum.

Sacerdos poſt Miſſam celebratam de feſto, converſus ad populum panem & aquam tenentem dicit Pſalmum 66.

Deus miſeratur noſtri, & benedicat nobis: illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri.

Ut cognoſcamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus ſalutare tuum.

Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur & exultent gentes, quoniam judicas populos in æquitate: & gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum ſuum.

Benedicat nos Deus, Deus noſter benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto: ſicut erat in principio & nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon. Pater noſter &c.

Ver.

Verſ. Et ne nos inducas in tentationem.
Reſp. Sed libera nos a malo.
Verſ. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
Reſp. Qui fecit cœlum & terram.
Verſ. Sit nomen Domini benedictum.
Reſp. Et hoc nunc & uſque in ſæculum.
Verſ. Ora pro nobis beata Agatha.
Reſp. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.
Verſ. Domine exaudi orationem meam.
Reſp. Et clamor meus ad te veniat.
Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Domine Jeſu Chriſte Filii Dei vivi, qui es panis vivus, qui de cœlo deſcendiſti, bene ✠ dic & ſanctifica ✠ hos panes & aquam in honorem beatæ Agathæ Virginis & Martyris, & ubicunque contra ignem comburentem miſſa, vel poſita fuerint, illico ignis evaneſcat, & penitus extinguatur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre &c.

Benedictio Dei Omnipotentis Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii & Spiritus ✠ ſancti, per interceſſionem Beatæ Agathæ Virginis & Martyris tuæ, deſcendat ſuper has creaturas & maneat ſemper. Amen.

Poſtea aſpergat ea aqua benedicta.

Hoc pane veſcantur eodem die initio comeſtionis in domo conſtituti. Aquam vero ſervent, ut tempore neceſſitatis in ignem injiciatur.

Benedictio Candelarum
in Feſto
SS. JOANNIS & PAULI.

Verſ. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
Reſp. Qui fecit cœlum & terram.
Verſ. Domini exaudi orationem meam.
Reſp. Et clamor meus ad te veniat.
Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Domine JEſu Chriſte, Fili Dei vivi, bene ✠ dic candelas iſtas. Supplicationibus noſtris infunde eis Domine per virtutem ſanctæ Cru ✠ cis & merita SS. Martyrum tuorum Joannis & Pauli benedictionem cœleſtem, qui eas ad repellendas noxias tempeſtates humano generi tribuiſti, talemque benedictionem ſignaculo ſanctæ Cru ✠ cis accipiant, ut quibuscunque locis accenſæ ſive poſitæ fuerint, diſcedant principes tenebrarum & contremiſcant, fugitantque pavidi cum omnibus miniſtris ſuis ab habitationibus illis, nec jactent grandines, & tempeſtates in poſſeſſionibus & finibus illorum, ſed eas projiciant per fluvium, vel immergant in mare ſine omni damno alicujus perſonæ, nec præſumant amplius inquietare, aut moleſtare ſervientes tibi omnipotenti Deo, qui vivis & regnas &c.

Ore-

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, parce metuentibus, propitiare ſupplicantibus, per merita SS. Martyrum tuorum Joannis & Pauli te rogamus, ut per hos benedictos cereos omnes noxios imbres, vimque procellarum & comminationem tempeſtatis tranſire facias, per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Antiph. Iſti ſunt duæ olivæ, & duo candelabra lucentia ante Dominum, habent poteſtatem claudere cœlum nubibus & aperire portas ejus, quia linguæ eorum claves cœli factæ ſunt.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Pater noſter &c.

Verſ. Et ne nos inducas in tentationem.
Reſp. Sed libera nos ab omni tempeſtate & grandine, & ab omni malo.
Verſ. Juſti autem in perpetuum vivent.
Reſp. Et apud Dominum merces eorum.

Oremus.

Quæſumus omnipotens Deus, ut nos geminata lætitia hodiernæ feſtivitatis excipiat, quæ de Beatorum Martyrum Joannis & Pauli glorificatione procedit, quos eadem fides & paſſio vere fecit eſſe germanos. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum &c.

Aſpergantur candelæ aqua benedicta.

Benedictio Dei Omnipotentis, Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ ſancti deſcendat ſuper nos, &

& hos cereos, & fructus terræ, & maneat ſemper. Amen.

Pro complemento notandum: quod clientes horum Sanctorum celebrare debeant mediam diem feſtivam audiendo etiam Sacrificium Miſſæ.

BENEDICTIO DOMORUM

in Sabbato ſancto Paſchæ.

Parochus, ſeu alius Sacerdos, ſuperpelliceo & ſtola alba indutus, cum miniſtro deferente vas aquæ, ex benedictione fontium ante perfuſionem Chriſmatis acceptæ, viſitat domos ſuæ Parochiæ, aſpergens eas eadem aqua benedicta. Ingrediens domum dicit: **Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea.**

Deinde aſpergens loca præcipua domus & eos, qui habitant in ea dicit: Antiphonam.

Vidi aquam egredientem de templo a latere dextro, Alleluja; Et omnes ad quos pervenit aqua iſta, ſalvi facti ſunt, Alleluja, Alleluja.

Pſalmus: Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia ejus.

Gloria Patri & Filio &c.

Repetitur Antiphona. Vidi aquam egredientem &c. deinde dicit:

Verſ. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam, Alleluja.

Reſp. Et ſalutare tuum da nobis, Alleluja.

Verſ. Domine exaudi orationem meam.

Reſp. Et clamor meus ad te veniat.

Verſ.

Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Exaudi nos Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, & ſicut domos Hebræorum in exitu de Ægypto agni ſanguine linitas (quod Paſcha noſtrum, in quo immolatus eſt Chriſtus, figurabat) ab Angelo percutiente cuſtodiſti, ita mittere digneris ſanctum Angelum tuum de cœlis, qui cuſtodiat, foveat, protegat, viſitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Alia benedictio domorum,

alio tempore facienda cum aſperſione aquæ benedictæ.

Parochus, ſeu alii Sacerdotes volentes aliquam particularem domum, vel generaliter domos fidelium alio tempore infra annum aſpergere aqua benedicta, ingredientes domum dicant: Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea.

Deinde loca aſpergendo dicant Antiphonam:

Aſperges me Domine hyſſopo & mundabor: lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.

Pſalmus. Miſerere mei Deus: ſecundum magnam miſericordiam tuam. Gloria Patri &c.

Et repetitur Antiphona. Aſperges me Domine hyſſopo &c.

Verſ. Domine exaudi orationem meam.
Reſp. Et clamor meus ad te veniat.

Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Exaudi nos Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, & mittere digneris ſanctum Angelum tuum de cœlis, qui cuſtodiat, foveat, protegat, viſitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Deinde aſpergat aqua benedicta.

BENEDICTIO LOCI.

Verſ. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
Reſp. Qui fecit cœlum & terram.
Verſ. Domine exaudi orationem meam.
Reſp. Et clamor meus ad te veniat.
Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Bene ✠ dic Domine Deus omnipotens locum iſtum, vel domum iſtam, ut ſit in eo, vel in ea ſanitas, caſtitas, victoria, virtus, humilitas, bonitas & manſuetudo, plenitudo legis, & gratiarum actio Deo Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, & hæc benedictio maneat ſuper hunc locum & ſuper habitantes in eo, nunc & ſemper. Reſp. Amen.

Et aſpergat aqua benedicta.

Alia

Alia Benedictio domus novæ.

Verſ. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
Reſp. Qui fecit cœlum & terram.
Verſ. Domine exaudi orationem meam.
Reſp. Et clamor meus ad te veniat.
Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Te Deum Patrem omnipotentem ſuppliciter exoramus, pro hac domo & habitatoribus ejus, ac rebus; ut eam bene ✠ dicere & ſancti ✠ ficare, ac bonis omnibus ampliare digneris; tribue eis Domine de rore cœli abundantiam & de pingvedine terræ, vitæ ſubſtantiam, & deſideria voti eorum ad effectum tuæ miſerationis perducas. Ad introitum ergo noſtrum bene ✠ dicere & ſancti ✠ ficare digneris hanc domum, ſicut benedicere dignatus es domum Abraham, Iſaac & Jacob; & intra parietes domus iſtius Angeli tuæ lucis inhabitent, eamque & ejus habitatores cuſtodiant. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Deinde aſpergat aqua benedicta.

BENEDICTIO THALAMI.

Verſ. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
Reſp. Qui fecit cœlum & terram.
Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Bene✠dic Domine, thalamum hunc, ut omnes habitantes in eo in tua pace conſiſtant, & in tua voluntate permaneant & ſeneſcant, & multiplicentur in longitudine dierum, & ad regna cœlorum perveniant. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Am.

Poſtea aſpergatur thalamus aqua benedicta.

BENEDICTIO NOVÆ NAVIS.

Verſ. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
Reſp. Qui fecit cœlum & terram.
Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Propitiare Domine ſupplicationibus noſtris, & bene✠dic navem iſtam dextera tua ſancta, & omnes, qui ea vehentur, ſicut dignatus es benedicere arcam Noe ambulantem in diluvio; porrige eis Domine dexteram tuam, ſicut porrexiſti beato Petro ambulanti ſupra mare, & mitte ſanctum Angelum tuum de cœlis, qui liberet & cuſtodiat eam ſemper a periculis univerſis, cum omnibus, quæ in ea erunt, & famulos tuos, repulſis adverſitatibus, portu ſemper optabili, curſuque tranquillo tuearis, transactisque, ac recte perfectis negotiis omnibus, iterato tempore ad

propria

propria cum omni gaudio revocare digneris. Qui vivis & regnas &c.

Aſpergat navim aqua benedicta.

BENEDICTIO COMMUNIS

ſuper fruges & vineas.

Verſ. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
Reſp. Qui fecit cœlum & terram.
Verſ. Domine exaudi orationem meam.
Reſp. Et clamor meus ad te veniat.
Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Oremus pietatem tuam omnipotens DEus, ut has primitias creaturæ tuæ, quas aeris & pluviæ temperamento nutrire dignatus es, benedictionis tuæ imbre perfundas, & fructus terræ tuæ uſque ad maturitatem perducas. Tribue quoque populo tuo de tuis muneribus tibi ſemper gratias agere, ut a fertilitate terræ eſurientium animas bonis affluentibus repleas, & egenus & pauper laudent nomen gloriæ tuæ. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Poſtea aſpergat illas aqua benedicta.

BENEDICTIO GRANARII.

Verſ. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
Reſp. Qui fecit cœlum & terram.
Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Adſit nobis, quæſumus Domine virtus Spiritus ſancti, quæ & corda noſtra clementer expurget, & ab omnibus tueatur adverſis. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum &c. Reſp. Amen.

Verſ. Dominus vobiſcum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.
Verſ. Sequentia ſancti Evangelii † ſecundum Lucam. Cap. 12.
Reſp. Gloria tibi Domine.

In illo tempore dixit Jeſus turbis Judæorum: videte & cavete ob omni avaritia, quia non in abundantia cujusquam vita ejus eſt, ex his quæ poſſidet. Dixit autem ſimilitudinem ad illos, dicens: hominis cujusdam divitis uberes fructus ager attulit: & cogitabat intra ſe dicens: quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos? & dixit: hoc faciam: deſtruam horrea mea, & majora faciam: & illuc congregabo omnia, quæ natæ ſunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ: anima habes multa bona poſita in annos plurimos, requieſce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte! hac nocte animam tuam repetent a te: quæ autem paraſti, cujus erunt? ſic eſt, qui ſibi theſauriſat, & non eſt in Deum dives.

Reſp. Laus tibi Chriſte.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter.

Verſ.

Verſ. Et ne nos inducas in tentationem.
Reſp. Sed libera nos a malo.
Verſ. Salvos fac ſervos tuos.
Reſp. Deus meus ſperantes in te.
Verſ. Nihil proficiat inimicus in nobis.
Reſp. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.
Verſ. Domine exaudi orationem meam.
Reſp. Et clamor meus ad te veniat.
Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens & miſericors Deus, qui ubique es preſens, Majeſtatem tuam ſuppliciter exoramus; ut huic horreo, gratia tua adeſſe dignetur, quæ cuncta adverſa ab eo repellat, & abundantiam bene ✠ dictionis tuæ ſuper illud largiter effundat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Hic aſpergendo illud aqua benedicta dicit:

Benedictio Dei omnipotentis Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ ſancti, deſcendat ſuper hoc horreum, & ſuper ea, quæ illo reponentur. Amen.

Benedictiones Eſculentorum
præſertim in Paſcha.

BENEDICTIO AGNI PASCHALIS.

Verſ. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
Reſp. Qui fecit cœlum & terram.
Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Ore-

Oremus.

Deus, qui per famulum tuum Moyſen, in liberatione populi tui de Ægypto, agnum occidi juſſiſti, in ſimilitudinem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & utrosque poſtes domorum de ſanguine ejusdem Agni perungi præcepiſti; ita bene ✠ dicere & ſancti ✠ ficare digneris hanc creaturam carnis, quam nos famuli tui ad laudem tuam ſumere deſideramus, per reſurrectionem ejusdem Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui tecum vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Reſp. Amen.

Et mox aſpergat aqua benedicta.

BENEDICTIO OVORUM.

Verſ. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
Reſp. Qui fecit cœlum & terram.
Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Subveniat, quæſumus Domine tuæ bene ✠ dictionis gratia huic ovorum creaturæ: ut cibus ſalubris fiat fidelibus tuis, in tuarum gratiarum actione ſumentibus, ob reſurrectionem Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui tecum vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Reſp. Amen.

Aſpergat aqua benedicta.

BENEDICTIO PANIS.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Domine Jeſu Chriſte, panis Angelorum, panis vivus æternæ vitæ, bene ✠ dicere dignare panem iſtum, ſicut benedixiſti quinque panes in deſerto: ut omnes ex eo guſtantes, inde corporis & animæ percipiant ſanitatem. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Et aſpergat aqua benedicta.

Alia Benedictio Panis.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, bene ✠ dicere digneris hunc panem tua ſancta ſpirituali benedictione: ut ſit omnibus ſumentibus ſalus mentis & corporis, atque contra omnes morbos & univerſas inimicorum inſidias tutamen. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum Filium tuum, panem vivum, qui de cœlo deſcendit, & dat vitam &

ſalutem mundo; & tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Reſp. Amen.

Aſpergat aqua benedicta.

Benedictio novorum fructuum.

Verſ. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
Reſp. Qui fecit cœlum & terram.
Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Bene ✠ dic Domine hos novos fructus N. & præſta, ut, qui ex eis in tuo ſancto nomine veſcentur, corporis & animæ ſalute potiantur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Et aſpergat aqua benedicta.

Benedictio ad quodcunque comeſtibile.

Verſ. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
Reſp. Qui fecit cœlum & terram.
Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Bene ✠ dic Domine creaturam iſtam N. ut ſit remedium ſalutare generi humano, & præſta per invocationem ſancti nominis tui, ut quicunque ex ea ſumpſerint, corporis ſanitatem, & animæ tutelam percipiant. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Am.

Aſpergat id aqua benedicta.

IN

IN FESTO ASSUMPTIONIS B. MARIÆ V.

Benedictio Herbarum.

Abſoluta aſperſione, ſi feſtum venerit in Dominica, alioquin immediate ante majorem Miſſam, Officians pluviali ſolemni indutus ante Altare, converſus ad populum tenentem herbas, incipit voce intelligibili:

Verſ. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
Reſp. Qui fecit cœlum & terram.

Deinde dicat Pſalmum 64.

Te decet hymnus Deus in Sion: & tibi reddetur votum in Jeruſalem.

Exaudi orationem meam: ad te omnis caro veniet.

Verba iniquorum prævaluerunt ſuper nos: & impietatibus noſtris tu propitiaberis.

Beatus, quem elegiſti & aſſumpſiſti: inhabitabit in atriis tuis.

Replebimur in bonis domus tuæ: ſanctum eſt templum tuum, mirabile in æquitate.

Exaudi nos Deus ſalutaris noſter: ſpes omnium finium terræ & in mari longe.

Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia: qui conturbas profundum maris, ſonum fluctuum ejus.

Turbabuntur gentes & timebunt, qui habitant terminos a ſignis tuis: exitus matutini & veſpere delectabis.

Viſitaſti terram & inebriaſti eam: multiplicaſti locupletare eam.

Flumen Dei repletum eſt aquis, paraſti cibum illorum: quoniam ita eſt præparatio ejus.

Rivos ejus inebria, multiplica genimina ejus: in ſtillicidiis ejus lætabitur germinans.

Benedices coronæ anni benignitatis tuæ: & campi tui replebuntur ubertate.

Pingveſcent ſpecioſa deſerti: & exultatione colles accingentur.

Induti ſunt arietes ovium, & valles abundabunt frumento: clamabunt etenim hymnum dicent.

Gloria Patri & Filio &c.

Verſ. Dominus dabit benignitatem.
Reſp. Et terra noſtra dabit fructum ſuum.
Verſ. Rigans montes de ſuperioribus ſuis.
Reſp. De fructu operum tuorum ſatiabitur terra.
Verſ. Producens fœnum jumentis.
Reſp. Et herbam ſervituti hominum.
Verſ. Ut educas panem de terra.
Reſp. Et vinum lætificet cor hominis.
Verſ. Ut exhilaret faciem in oleo.
Reſp. Et panis cor hominis confirmet.
Verſ. Miſit verbum ſuum & ſanavit eos.
Reſp. Et eripuit eos de omnibus interitionibus eorum.
Verſ. Domine exaudi orationem meam.

Reſp. Et clamor meus ad te veniat.
Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui cœlum, terram, mare, & omnia viſibilia & inviſibilia verbo tuo ex nihilo creaſti: quique herbas, arboresque ad uſus hominum, animaliumque terram gignere, & unumquodque juxta ſementem in ſemetipſo fructum habere præcepiſti: atque non ſolum, ut herbæ animantibus ad victum, ſed ægris etiam corporibus prodeſſent ad medicamentum, tua ineffabili pietate conceſſiſti: te ſupplici mente & ore deprecamur, ut has diverſi generis herbas & fructus, tua clementia bene ✠ dicas, & ſupra naturalem a te inditam virtutem, eis benedictionis tuæ novæ gratiam infundas, ut ad uſum hominibus & jumentis in nomine tuo applicatæ, omnium morborum, & adverſitatum efficiantur præſidium. Per Dominum noſtrum &c.

Deus, qui per Moyſem famulum tuum mandaſti filiis Iſrael: ut manipulos novorum fructuum benedicendos deferrent ad Sacerdotes, tollerentque fructus arboris pulcherrimæ, & lætarentur coram te Domino Deo ſuo: adeſto propitius invocationibus noſtris, & effunde tuæ bene ✠ dictionis abundantiam ſuper nos & ſuper hos manipulos novarum frugum,

uvarum,

uvarum, herbarum & fructuum collectionem, quæ cum gratiarum actione tibi repræſentamus, & in nomine tuo in hac ſolemnitate bene ✠ dicimus: & concede, ut hominibus, pecoribus, pecudibus & jumentis contra morbos, peſtes, ulcera, maleficia, incantationes, veneficia ſerpentum & aliorum venenoſorum animalium & beſtiarum morſus, nec non quæcunque venena remedium præſtent; atque contra diabolicas illuſiones & machinationes & fraudes tutamen ferant, in quocunque loco poſitum, vel portatum, aut habetur aliquid ex eis. Quatenus cum manipulis bonorum operum meritis Beatæ Mariæ Virginis, cujus Aſſumptionis feſtum colimus, quo ipſa aſſumpta eſt, ſuſcipi mereamur. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum Filium tuum.

Oremus.

Deus, qui virgam Jeſſe, Genitricem Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti, hodierna die ad cœlorum faſtigia ideo evexiſti: ut per ejus ſuffragia & patrocinia fructum ventris illius, eundem Filium tuum mortalitati noſtræ communicares: te ſupplices exoramus, ut ejusdem Filii tui virtute, ejuſdem Genitricis glorioſo patrocinio, iſtorum terræ fructuum præſidiis, per temporalem ad æternam ſalutem diſponamur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum.

Et

Et benedictio Dei omnipotentis Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ ſancti deſcendat ſuper has creaturas, & maneat ſemper. Reſp. Amen.

Poſtea herbæ aſpergantur aqua benedicta & thurificentur.

BENEDICTIONES AB EPISCOPIS vel aliis facultatem habentibus faciendæ.

BENEDICTIONES SACERDOTALIUM INDUMENTORUM IN GENERE.

Verſ. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
Reſp. Qui fecit cœlum & terram.
Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui per Moyſen famulum tuum Pontificalia & Sacerdotalia, ſeu Levitica veſtimenta ad explendum in conſpectu tuo miniſterium eorum, ad honorem & decorem nominis tui fieri decreviſti: adeſto propitius invocationibus noſtris, & hæc indumenta Sacerdotalia deſuper irrigante gratia tua, ingenti benedictione per noſtræ humilitatis ſervitium puri✠ficare, bene✠dicere, & conſe✠crare digneris; ut divinis cultibus & ſacris myſteriis apta & benedicta exiſtant; his quoque ſacris veſtibus Pontifices & Sacerdotes, ſeu Levitæ tui induti, ab omnibus impulſionibus, ſeu tentationibus maligno-

lignorum ſpirituum muniti, & defenſi eſſe mereantur, tuisque myſteriis apte & condigne ſervire & inhærere, atque in his tibi placite & devote perſeverare tribue. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Oremus.

Deus invictæ virtutis triumphator & omnium rerum creator ac ſanctificator, intende propitius preces noſtras; & hæc indumenta Leviticæ, Sacerdotalis & Pontificalis gloriæ miniſtris tuis fruenda tuo ore proprio bene ✠ dicere, ſancti ✠ ficare & conſecrare ✠ digneris; omnesque eis utentes, tuis myſteriis aptos, & tibi in eis devote ac laudabiliter ſervientes, gratos efficere digneris. Per Dominum &c.

Oremus.

Domine Deus omnipotens, qui veſtimenta Pontificibus, Sacerdotibus & Levitis in uſum tabernaculi fœderis neceſſaria Moyſen famulum tuum agere juſſiſti, eumque ſpiritu ſapientiæ ad id peragendum repleviſti; hæc veſtimenta in uſum & cultum myſterii tui bene ✠ dicere, ſancti ✠ ficare & con ✠ ſecrare digneris, atque miniſtros altaris tui, qui ea induerint, ſeptiformis Spiritus gratia dignantur repleti, atque caſtitatis ſtola, beata facias cum bonorum fructu operum miniſterii congruentis immortalitate veſtiri. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Deinde aſpergit ipſa indumenta aqua benedicta.

BENEDICTIO MAPPARUM, ſive LINTEAMINUM ALTARIS.

Verſ. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
Reſp. Qui fecit cœlum & terram.
Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Exaudi Domine preces noſtras, & hæc linteamina ſacri altaris uſui præparata bene ✠ dicere & ſanctificare digneris. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Oremus.

Domine Deus omnipotens, qui Moyſen famulum tuum ornamenta & linteamina facere per quadraginta dies docuiſti, quæ etiam Maria texuit, & fecit in uſum miniſterii, & tabernaculi fœderis, bene ✠ dicere, ſancti ✠ ficare & con ✠ ſecrare digneris hæc linteamina ad tegendum, involvendumque altare glorioſiſſimi Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti. Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Reſp. Amen.

Deinde aſpergat aqua benedicta.

BENEDICTIO CORPORALIUM.

Verſ. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
Reſp. Qui fecit cælum & terram.
Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Clementiſſime Domine, cujus inenarrabilis eſt virtus, cujus myſteria arcanis mirabilibus celebrantur: quæſumus, ut hoc linteamen tuæ propitiationis bene ✠ dictione ſanctificetur ad conſecrandum ſuper illud corpus & ſanguinem Dei, & Domini noſtri Jeſu Chriſti Filii tui, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Reſp. Amen.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, bene ✠ dicere, ſancti ✠ ficare & conſe ✠ crare digneris linteamen iſtud ad tegendum, involvendumque corpus & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti Filii tui, qui tecum vivit & regnat &c. Reſp. Amen.

Oremus.

Omnipotens Deus, manibus noſtris opem tuæ benedictionis infunde; ut per noſtram bene ✠ dictionem hoc linteamen ſanctificetur, & corporis ac ſanguinis Redemptoris noſtri novum ſudarium Spiritus ſancti gratia efficiatur. Per eundem Dominum noſtrum JEſum Chriſtum Filium tuum: qui tecum vivit & regnat in unitate ejusdem Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Reſp. Amen.

Et aſpergit aqua benedicta.

BENEDICTIO TABERNACULI,

seu

vaſculi pro ſacroſancta Eychariſtia conſervanda.

Verſ. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
Reſp. Qui fecit cœlum & terram.
Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, Majeſtatem tuam ſupplices deprecamur, ut vaſculum hoc pro corpore Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti in eo condendo fabricatum, bene ✠ dictionis tuæ gratia dicare digneris. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Deinde aſpergit illud aqua benedicta.

BENEDICTIO NOVÆ CRUCIS.

Verſ. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
Reſp. Qui fecit cœlum & terram.
Verſ. Domine exaudi orationem meam.
Reſp. Et clamor meus ad te veniat.
Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus

Rogamus te Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, ut digneris bene ✠ dicere hoc ſignum Crucis, ut ſit remedium ſalutare generi humano, ſit ſoliditas fidei, profectus bonorum operum, re-

demptio animarum, ſit ſolamen & protectio, ac tutela contra ſæva jacula inimicorum. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Alia Oratio.

Bene✠dic Domine hanc Crucem tuam, per quam eripuiſti mundum a dæmonum poteſtate, & ſuperaſti paſſione tua ſuggeſtorem peccati, qui gaudebat in prævaricatione primi hominis per ligni vetiti ſumptionem. Hic aſpergat aqua benedicta.

Sanctificetur hoc ſignum Crucis, in nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ ſancti, ut orantes, inclinantesque ſe propter Dominum ante iſtam Crucem inveniant corporis & animæ ſanitatem. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Poſtea Sacerdos genuflexus ante Crucem, devote adorat & oſculatur, & idem faciunt quicunque voluerint.

BENEDICTIO IMAGINUM

JESU Chriſti Domini noſtri, B. Virginis MARIÆ & aliorum Sanctorum.

Verſ. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
Reſp. Qui fecit cœlum & terram.
Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui Sanctorum tuorum imagines N. ſive effigies ſculpi, aut pingi non

non reprobas, ut quoties illas oculis corporis intuemur, toties eorum actus & ſanctitatem ad imitandum memoriæ oculis meditemur; hanc, quæſumus, imaginem, ſeu ſculpturam in honorem & memoriam unigeniti Filii tui Domini noſtri JEſu Chriſti, vel Beatiſſimæ Virginis Mariæ Matris Domini noſtri JESU Chriſti, vel Beati N. Apoſtoli tui, vel Martyris, vel Confeſſoris, aut Pontificis, aut Virginis adaptatam bene ✠ dicere & ſancti ✠ ficare digneris, & præſta: ut quicunque coram illa unigenitum Filium tuum, vel Beatiſſimam Virginem, vel glorioſum Apoſtolum, ſive Martyrem, ſive Confeſſorem, aut Virginem ſuppliciter colere & honorare ſtuduerit, illius meritis & obtentu a te gratiam in præſenti, & æternam gloriam obtineat in futurum. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Ultimo aſpergat aqua benedicta.

RITUS

benedicendi & imponendi primarium lapidem pro Eccleſia ædificanda ſervandus a Sacerdote facultatem habente ab Epiſcopo.

Eccleſiam ex Epiſcopi auctoritate tantum, juxta Sacrorum Canonum decreta, ædificare fas eſt. Si vero Sacerdos ejus ædificationis primarium lapidem benedicendi poteſtatem habens, ejusmodi functionem peragat, hunc ritum ſervabit.

Pridie, quam primarius lapis benedicatur, ligneam Crucem in loco, ubi debet eſſe altare, figat ipſe, vel alius Sacerdos.

cerdos. Sequenti vero die lapis in Eccleſiæ fundatione ponendus, qui debet eſſe quadratus & angularis benedicatur hoc modo:

Sacerdos indutus amictu, alba, cingulo, ſtola & pluviali albi coloris, adhibitis aliquot Sacerdotibus & Clericis, ſalem & aquam benedicit, niſi prius in promptu habeat jam benedictam ordinaria benedictione; ut ſupra, & interim, dum cantatur a Clericis Antiphona cum Pſalmo ſequenti aſpergit locum, ubi crux poſita eſt, cum aqua benedicta.

Antiphona. Signum ſalutis pone, Domine JEſu Chriſte, in loco iſto, & non permittas introire Angelum percutientem.

Pſalmus 83.

Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum & caro mea: exultaverunt in Deum vivum.

Etenim paſſer invenit ſibi domum: & turtur nidum ſibi, ubi ponat pullos ſuos.

Altaria tua, Domine virtutum: Rex meus & Deus meus.

Beati, qui habitant in domo tua Domine: in ſæcula ſæculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus eſt auxilium abs te: aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in valle lacrymarum, in loco, quem poſuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus Deorum in Sion.

Do-

Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam: auribus percipe Deus Jacob.

Protector noſter aſpice Deus: & reſpice in faciem Chriſti tui.

Quia melior eſt dies una in atriis tuis: ſuper millia.

Elegi abjectus eſſe in domo Dei mei: magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia miſericordiam & veritatem diligit Deus: gratiam & gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo, qui ſperat in te. Gloria Patri & Filio &c.

Finito Pſalmo, Sacerdos verſus ad locum per eum aſperſum dicit:

Oremus.

Domine Deus, qui licet cœlo & terra non capiaris domum tamen dignaris habere in terris, ubi nomen tuum jugiter invocetur, locum hunc, quæſumus, B. Mariæ ſemper Virginis, & B. N. (nominando Sanctum, vel Sanctam in cujus honorem, ac nomen fundabitur Eccleſia) omniumque Sanctorum intercedentibus meritis, ſereno pietatis tuæ intuitu viſita, & per infuſionem gratiæ tuæ ab omni inquinamento purifica, purificatumque conſerva, & qui dilecti tui David devotionem filii ſui Salomonis opere compleviſti, in

hoc

hoc opere deſideria noſtra perficere digneris; effugiantque omnes hinc nequitiæ ſpiritales. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum &c.

Poſtea ſtans, benedicit primarium lapidem dicens:

Verſ. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
Reſp. Qui fecit cœlum & terram.
Verſ. Sit nomen Domini benedictum.
Reſp. Ex hoc nunc & uſque in ſæculum.
Verſ. Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes.
Reſp. Hic factus eſt in Caput anguli.
Verſ. Tu es Petrus.
Reſp. Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.
Verſ. Gloria Patri & Filio, & Spiritui ſancto.
Reſp. Sicut erat in principio & nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Oremus.

Domine JEſu Chriſte Fili Dei vivi, qui es verus omnipotens Deus, ſplendor & imago æterni Patris & vita æterna, qui es lapis angularis de monte ſine manibus abſciſſus, & immutabile fundamentum, hunc lapidem collocandum in tuo nomine confirma, & tu, qui es principium & finis, in quo principio Deus Pater ab initio cuncta creavit, ſis quæſumus principium, & incrementum, & conſummatio ipſius operis, quod debet ad laudem & gloriam tui nominis inchoari. Qui cum Patre & Spiritu ſancto vivis & regnas Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Reſp. Amen.

Tunc

Tunc aſpergit lapidem ipſum aqua benedicta, & accepto cultro per ſingulas partes, ſculpit in eo ſignum Crucis, dicens:

In nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ ſancti. Reſp. Amen.

Quo facto dicit:

Oremus.

Bene✠dic Domine creaturam iſtam lapidis, & præſta per invocationem ſancti tui nominis, ut quicunque ad hanc Eccleſiam ædificandam pura mente auxilium dederint, corporis ſanitatem & animæ medelam percipiant. Per Chriſtum &c.

Poſtea dicuntur Litaniæ ordinariæ ſine Orationibus in fine poſitis, quibus dictis, parato cæmento & cæmentario aſſiſtente, Sacerdos inchoat, Clericis proſequentibus, Antiphonam:

Pſalmus. 126

Niſi Dominus ædificaverit domum: in vanum laboraverunt, qui ædificant eam.

Niſi Dominus cuſtodierit civitatem: fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam.

Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere: ſurgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris.

Cum dederit dilectis ſuis ſomnum: ecce hæreditas Domini, filii, merces, fructus ventris.

Sicut ſagittæ in manu potentis: ita filii excuſſorum.

Beatus vir, qui implevit deſiderium ſuum ex ipſis: non confundetur, cum loquetur inimicis ſuis in porta.

Gloria Patri & Filio &c.

Quo dicto Sacerdos ſtans, tangit & ponit ipſum primarium lapidem in fundamento, dicens:

In fide JEſu Chriſti collocamus lapidem iſtum primarium in hoc fundamento. In nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ ſancti, ut vigeat vera fides hic, & timor Dei, fraternaque dilectio, & ſit hic locus deſtinatus orationi, & ad invocandum & laudandum nomen ejuſdem Domini noſtri JEſu Chriſti, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Reſp. Amen.

Interim cæmentarius locat ipſum lapidem cum cæmento: poſtea Sacerdos ſpargit ſuper lapidem aquam benedictam, dicens: Aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.

Pſalmus. 50.

Miſerere mei Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam.

Et ſecundum multitudinem miſerationum tuarum: dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea: & a peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco: & peccatum meum contra me eſt ſemper.

Tibi

Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci: ut juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum: & in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexiſti: incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.

Aſperges me hyſſopo, & mundabor: lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium & lætitiam: & exultabunt oſſa humiliata.

Averte faciem tuam a peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: & ſpiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me a facie tua: & Spiritum ſanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi lætitiam ſalutaris tui: & ſpiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: & impii ad te convertentur.

Libera me de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis meæ, & exultabit lingua mea juſtitiam tuam.

Domine, labia mea aperies: & os meum annunciabit laudem tuam.

Quoniam, ſi voluiſſes ſacrificium, dediſſem utique: holocauſtis non delectaberis.

Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.

Benigne fac Domine, in bona voluntate tua Sion: ut ædificentur muri Jeruſalem.

Tunc acceptabis Sacrificium juſtitiæ, oblationes, & holocauſta: tunc imponent ſuper altare tuum vitulos.

Gloria Patri & Filio, & Spiritui ſancto: ſicut erat in principio & nunc & ſemper, &c.

Quo dicto, Sacerdos ſpargit aquam benedictam per omnia fundamenta, ſi ſunt aperta: ſi vero non ſunt aperta, circuit aſpergendo fundamenta Eccleſiæ deſignata. Et incipiens aſpergere inchoat Antiphonam, Clero proſequente:

O quam metuendus eſt locus iſte! vere non eſt hic aliud, niſi domus Dei & porta cœli.

Pſalmus 86.

Fundamenta ejus in montibus ſanctis: diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Jacob.

Glorioſa dicta ſunt de te: civitas Dei.

Memor ero Rahab, & Babylonis: ſcientium me.

Ecce alienigenæ & Tyrus & populus Æthiopum: hi fuerunt illic.

Numquid Sion dicet, homo, & homo natus eſt in ea: & ipſe fundavit eam altiſſimus?

Dominus narrabit in ſcripturis populorum, & principum: horum qui fuerunt in ea.

Sicut

Sicut lætantium omnium: habitatio eſt in te. Gloria Patri & Filio &c.

Antiphona. O quam metuendus eſt locus iſte! vere non eſt hic aliud, niſi domus Dei & porta cœli.

Interim aſpergendo procedit uſque ad fundamenta aperta, ſeu deſignata, & repetita Antiphona, ſtans dicit.

Oremus.

Miniſtri. Verſ. Flectamus genua.

Reſp. Levate.

Omnipotens & miſericors Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam præ cæteris gratiam contuliſti, ut quidquid in tuo nomine digne, perfecteque ab eis agitur, a te fieri credatur: quæſumus immenſam clementiam tuam; ut quidquid modo viſitaturi ſumus, viſites, & quidquid benedicturi ſumus, bene ✠ dicas; ſitque ad noſtræ humilitatis introitum, ſanctorum ſuorum meritis, fuga dæmonum, Angeli pacis ingreſſus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Deus, qui ex omnium cohabitatione Sanctorum æternum Majeſtati tuæ condis habitaculum: da ædificationis tuæ incrementa cœleſtia, ut quod, te jubente, fundatur, te largiente perficiatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

RITUS
benedicendi novam Eccleſiam,
ſeu
ORATORIUM PUBLICUM
ut ibi ſanctiſſimum Miſſæ Sacrificium celebrari poſſit.

Sacerdos novam Eccleſiam de licentia Epiſcopi benedicturus, ut in ea divinum ſacrificium Miſſæ rite celebretur, ſtola, ac pluviali albi coloris indutus aliquot Sacerdotibus & Clericis adhibitis, prælata Cruce media inter duos Clericos deferentes cereos accenſos, mane procedit ad primariam Eccleſiæ, vel Oratorii Januam, ubi ſtans capite aperto, converſus ad eam dicit abſolute Orationem:

Actiones noſtras quæſumus Domine, aſpirando præveni & adjuvando proſequere: ut cuncta noſtra Oratio & operatio a te ſemper incipiat, & per te cepta finiatur. Per Chriſtum &c.

Deinde inchoat Antiphonam: Aſperges me Domine &c. & Clerus alternatim dicit Pſalmum: Miſerere mei Deus, ut ſupra pag. 820. in fine Gloria Patri. Interim circumdant exterius Eccleſiam (quæ intus debet eſſe vacua & nuda, & pariter altaria nuda, excluſo populo, donec abſoluta ſit benedictio) & Sacerdos accepto aſpergillo ex herba hyſſopi ad ejus dexteram ſe convertens, parietes Eccleſiæ in ſuperiori parte, & in fundamentis, aqua benedicta aſpergit dicens: Aſperges me, Domine hyſſopo, & mundabor; lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.

Reverſi ad locum, unde proceſſio initium habuit, repetita Antiphona a Clero, Sacerdos ſtans ut prius verſus Eccleſiam dicit:

Ore-

Oremus. Et Miniſtri.

Verſ. Flectamus genua.
Reſp. Levate.

Domine Deus, qui licet cœlo & terræ non capiaris, domum tamen dignaris habere in terris, ubi nomen tuum jugiter invocetur: locum hunc quæſumus, Beatæ Mariæ ſemper Virginis, & Beati N. omniumque Sanctorum intercedentibus meritis, ſereno pietatis tuæ intuitu viſita, & per infuſionem gratiæ tuæ ab omni inquinamento purifica, purificatumque conſerva, & qui dilecti tui David devotionem filii ſui Salomonis opere compleviſti, in hoc opere deſideria noſtra perficere digneris, effugiantque omnes hinc nequitiæ ſpirituales, Per Dominum noſtrum &c.

Qua finita oratione, omnes bini in Eccleſiam intrantes ad Altare majus procedunt, Litanias decantantes.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon. Chriſte audi nos.
Chriſte exaudi nos.
Pater de Cœlis Deus, miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miſerere nobis.
Spiritus ſancti Deus, miſerere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miſerere nobis.
Sancta Maria, ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix, ora pro nobis.
Sancta Virgo Virginum, ora pro nobis.
Sancte Michael, ora pro nobis.

Sancte

Sancte Gabriel, ora pro nobis.
Sancte Raphael, ora pro nobis.
Omnes ſancti Angeli & Archangeli, orate pro nobis.
Omnes Sancti beatorum ſpirituum Ordines, orate &c.
Sancte Joannes Baptiſta, ora pro nobis.
Omnes ſancti Patriarchæ & Prophetæ, orate pro nobis.
Sancte Petre,
Sancte Paule,
Sancte Andrea,
Sancte Jacobe,
Sancte Joannes,
Sancte Thoma,
Sancte Jacobe,
Sancte Philippe,
Sancte Bartholomæe,
Sancte Matthæe,
Sancte Simon.
Sancte Thaddæe,
Sancte Mathia,
Sancte Barnaba,
Sancte Luca,
Sancte Marce,
Ora pro nobis.
Omnes ſancti Apoſtoli & Evangeliſtæ, orate pro nobis.
Omnes ſancti Diſcipuli Domini, orate pro nobis.
Omnes ſancti Innocentes, orate pro nobis.
Sancte Stephane, ora pro nobis
Sancte Laurenti, ora pro nobis.
Sancte Vincenti, ora pro nobis.
Sancti Fabiane & Sebaſtiane, orate pro nobis.
Sancti Joannes & Paule, orate pro nobis.
Sancti Coſma & Damiane, orate pro nobis.
Sancti Gervaſi & Protaſi, orate pro nobis.
Omnes Sancti Martyres, orate pro nobis

Sancte

Sancte Sylveſter, ora pro nobis.
Sancte Gregori, ora pro nobis.
Sancte Ambroſi, ora pro nobis.
Sancte Auguſtine, ora pro nobis.
Sancte Hieronyme, ora pro nobis.
Sancte Martine, ora pro nobis.
Sancte Nicolae, ora pro nobis.
Omnes ſancti Pontifices & Confeſſores, orate pro nobis.
Omnes ſancti Doctores, orate pro nobis.
Sancte Antoni, ora pro nobis.
Sancte Benedicte, ora pro nobis.
Sancte Bernarde, ora pro nobis.
Sancte Dominice, ora pro nobis.
Sancte Franciſce, ora pro nobis.
Omnes ſancti Sacerdotes & Levitæ, orate pro nobis.
Omnes ſancti Monachi & Eremitæ, orate pro nobis.
Sancta Maria Magdalena, ora pro nobis,
Sancta Agatha, ora pro nobis.
Sancta Lucia, ora pro nobis.
Sancta Agnes, ora pro nobis.
Sancta Cæcilia, ora pro nobis.
Sancta Catharina, ora pro nobis.
Sancta Anaſtaſia, ora pro nobis.
Omnes ſanctæ Virgines & Viduæ, orate pro nobis.
Omnes ſancti & ſanctæ Dei, intercedite pro nobis.
Propitius eſto, parce nobis Domine.
Propitius eſto, exaudi nos Domine.
Ab omni malo, libera nos Domine.
Ab omni peccato, libera nos Domine.
Ab ira tua, libera nos Domine.
A ſubitanea & improviſa morte, libera nos Domine.
Ab inſidiis diaboli, libera nos Domine.
Ab ira & odio, & omni mala voluntate, libera nos &c.

A ſpiritu fornicationis, libera nos Domine.
A fulgure & tempeſtate, libera nos Domine.
A morte perpetua, libera nos Domine.
Per Myſterium ſanctæ Incarnationis tuæ, libera nos &c.
Per Adventum tuum, libera nos Domine.
Per Nativitatem tuam, libera nos Domine.
Per Baptiſmum & ſanctum jejunium tuum, libera &c.
Per Crucem & Paſſionem tuam, libera nos Domine.
Per mortem & ſepulturam tuam, libera nos Domine.
Per ſanctam Reſurrectionem tuam, libera nos Domine.
Per admirabilem Aſcenſionem tuam, libera nos Domine.
Per Adventum Spiritus ſancti Paraclyti, libera &c.
In die Judicii, libera nos Domine.
Peccatores, te rogamus, audi nos.
Ut nobis parcas, te rogamus, audi nos.
Ut nobis indulgeas, te rogamus audi nos.
Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris, te rogamus, audi nos.
Ut Eccleſiam tuam ſanctam regere & conſervare digneris, te rogamus, audi nos.
Ut domnum Apoſtolicum & omnes Eccleſiaſticos ordines in ſancta religione conſervare digneris, te rogamus, audi nos.
Ut inimicos ſanctæ Eccleſiæ humiliare digneris, te rogamus, audi nos.
Ut Regibus & Principibus Chriſtianis pacem & veram concordiam donare digneris, te rogamus &c.
Ut cuncto populo Chriſtiano pacem & unitatem largiri digneris, te rogamus audi nos.
Ut nosmetipſos in tuo ſancto ſervitio confortare & conſervare digneris, te rogamus audi nos.
Ut mentes noſtras ad cœleſtia deſideria erigas, te rogamus, audi nos.

Ut omnibus benefactoribus noſtris ſempiterna bona retribuas, te rogamus, audi nos.
Ut animas noſtras fratrum propinquorum, & benefactorum noſtrorum ab æterna damnatione eripias, te rogamus, audi nos.
Ut fructus terræ dare & conſervare digneris, te rogamus, audi nos.
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris, te rogamus, audi nos.
Ut nos exaudire digneris, te rogamus, audi nos.
Fili Dei, te rogamus, audi nos.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis.
Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.
Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon. Pater noſter &c. ſecreto.

Verſ. Et ne nos inducas in tentationem.
Reſp. Sed libera nos a malo.

Ubi dictum fuerit. Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris, te rogamus audi nos.

Surgit Sacerdos & intelligibili voce dicit: Ut hanc Eccleſiam & Altare ad honorem tuum, & nomen ſancti tui N. purgare & bene † dicere digneris, Te rogamus, audi nos.

Cum dicit, benedicere, manu dextra benedicit Eccleſiam, & Altare deinde, ut prius genuflectit, donec perficiantur Litaniæ & Cantores ſequuntur.

Ut nos exaudire digneris, te rogamus, audi nos, Fili Dei, Te rogamus, audi nos. Agnus Dei &c.

Dicto ultimo. Kyrie eleiſon. Sacerdos ſtans, dicit.

Oremus.

Miniſtri. Verſ. Flectamus genua.
Reſp. Levate.

Præveniat nos, quæſumus Domine, miſericordia tua, & intercedentibus omnibus Sanctis tuis, voces noſtras clementia tuæ propitiationis anticipet. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Tum diſtans ab Altari congruenti ſpatio genuflexus, & ſe ſignans dicit: *Deus in adjutorium meum intende.*

Surgit Clero reſpondente: Domine ad adjuvandum me feſtina.

Ipſe vero ſtans, dicit: *Gloria Patri & Filio, & Spiritui ſancto.*

Chorus reſpondet: Sicut erat in principio &c.

Poſtea Sacerdos dicit:

Oremus.

Miniſtri. Verſ. Flectamus genua.
Reſp. Levate.

Omnipotens & miſericors Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam præ cæteris gratiam contuliſti, ut quidquid in tuo nomine digne, perfecteque ab eis agitur, a te fieri credatur, quæſumus immenſam clementiam tuam, ut quidquid modo viſitaturi ſumus, viſites: & quidquid benedicturi ſumus, bene✠dicas; ſitque ad noſtræ humilitatis introitum, Sanctorum tuorum meritis, fuga dæmonum, Angeli pacis Ingreſſus. Per Dominum noſtrum &c.

His

His dictis inchoat Antiphonam: Benedic Domine domum iſtam nomini tuo ædificatam, cum tribus Pſalmis ſequentibus, videlicet:

Pſalmus 119.

Ad Dominum, cum tribularer, clamavi: & exaudivit me.

Domine libera animam meam a labiis iniquis: & a lingua doloſa.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi: ad linguam doloſam?

Sagittæ potentis acutæ: cum carbonibus deſolatoriis.

Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt, habitavi cum habitantibus Cedar: multum incola fuit anima mea.

Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus: cum loquebar illis, impugnabant me gratis.

Gloria Patri & Filio, & Spiritui ſancto &c.

Pſalmus 120.

Levavi oculos meos in montes: unde veniet auxilium mihi.

Auxilium meum a Domino: qui fecit cœlum & terram.

Non det in commotiouem pedem tuum: neque dormitet, qui cuſtodit te.

Ecce non dormitabit, neque dormiet: qui cuſtodit Iſrael.

Dominus cuſtodit te, Dominus protectio tua: ſuper manum dextram tuam.

Per diem ſol non uret te: neque luna per noctem.

Dominus cuſtodit te ab omni malo: cuſtodiat animam tuam Dominus.

Dominus cuſtodiat introitum tuum, & exitum tuum: ex hoc nunc & uſque in ſæculum.

Gloria Patri & Filio &c.

Pſalmus 121.

Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi: in domum Domini ibimus.

Stantes erant pedes noſtri: in atriis tuis Jeruſalem.

Jeruſalem, quæ ædificatur, ut civitas: cujus participatio ejus in id ipſum.

Illuc enim aſcenderunt tribus, tribus Domini: teſtimonium Iſrael ad confitendum nomini Domini.

Quia illic ſederunt ſedes in judicio: ſedes ſuper domum David.

Rogate, quæ ad pacem ſunt Jeruſalem: & abundantia diligentibus te.

Fiat pax in virtute tua: & abundantia in turribus tuis.

Propter fratres meos, & proximos meos: loquebar pacem de te.

Prop-

Propter domum Domini Dei noſtri: quæſivi bona tibi. Gloria Patri & Filio &c.

Antiphona. Benedic Domine domum iſtam nomini tuo ædificatam. Interim aſpergit interius parietes in parte ſuperiori & inferiori, inchoans aſperſionem a parte Evangelii dicens: Aſperges me Domine &c. tum ad Altare reverſus, dicit:

Oremus.

Miniſtri. Verſ. Flectamus genua.
Reſp. Levate.

Deus, qui loca nomini tuo dicanda ſanctificas: effunde ſuper hanc orationis domum gratiam tuam: ut ab omnibus hic nomen tuum invocantibus auxilium tuæ miſericordiæ ſentiatur. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum &c.

His peractis dicitur Miſſa de tempore occurrenti, vel de Sancto.

Eccleſia vero quamvis a ſimplici Sacerdote, ut ſupra, ſit benedicta, ab Epiſcopo tamen conſecranda eſt.

RITUS

reconciliandi Eccleſiam violatam, ſi nondum erat ab Epiſcopo conſecrata.

Eccleſiæ violatæ reconciliatio per Sacerdotem ab Epiſcopo delegatum fiat hoc modo. Altare Eccleſiæ omnino nudetur, provideaturque, ut Eccleſia poſſit libere circumiri tam exterius, quam interius, ſi fieri poteſt, paretur vaſculum cum aqua benedicta & aſpergillum de herba hyſſopo factum,

Sacer-

Sacerdos indutus amictu, alba, cingulo, ſtola & pluviali albo, adhibitis aliquot Sacerdotibus & Clericis procedit ad primariam Eccleſiæ portam, ubi ſtans Antiphonam incipit, dicens Clero proſequente:

Aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor. Pſalmus. Miſerere mei Deus &c. pag. 82. totus cum Gloria Patri &c.

Quo finito, Antiphona repetitur; Interim, dum Antiphona & Pſalmus dicuntur, Sacerdos cum aqua benedicta aſpergit in circuitu extrinſecus Eccleſiam, & Cœmeterium ſimul aſpergendo alternatim ad parietes Eccleſiæ, ad terram cœmeterii, præſertim ad loca contaminata. Quo facto redit ad locum, ubi incepit aſpergere, & ſtans dicit:

Oremus.

Omnipotens & miſericors Deus, qui Sacerdotibus tuis tantam præ cæteris gratiam contuliſti, ut quidquid in tuo nomine digne perfecteque ab eis agitur, a te fieri credatur, quæſumus immenſam clementiam tuam, ut quod modo viſitaturi ſumus, viſites: & quidquid benedicturi ſumus, bene ✠ dicas, ſitque ad noſtræ humilitatis introitum, Sanctorum tuorum meritis, fuga dæmonum, Angeli pacis ingreſſus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Deinde Sacerdos incipit Litanias, & ingreditur Eccleſiam cum Clero cantando eas: acceditque ante Altare majus, coram quo genuflectit; cumque dictum fuerit: Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris, te rogamus, audi nos.

Sacer-

Sacerdos ſurgit, & clara voce dicit: Ut hanc Eccleſiam, altare hoc, & cœmeterium purgare, ✠ & reconciliare digneris, te rogamus, audi nos.

Quibus dictis rurſus genuflectit, & Litaniæ perficiuntur. Quibus finitis, Sacerdos verſus ad dictum Altare dicit:

Oremus. Et Miniſtri.

Verſ. Flectamus genua.
Reſp. Levate.

Præveniat nos, quæſumus Domine miſericordia tua, & intercedentibus omnibus Sanctis tuis, voces noſtras clementia tuæ propitiationis anticipet. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Deinde Sacerdos genuflectit ante Altare, & ſigno crucis ſe muniens, clara voce dicit: Deus in adjutorium meum intende. Tum ſurgit, & Chorus, ſeu aſtantes Clerici reſpondent: Domine ad adjuvandum me feſtina, & Sacerdos ſtans, dicit: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Reſp. Sicut erat in principio & nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Quo dicto, Sacerdos inchoat, Clero proſequente, Antip.

Exurgat Deus, & diſſipentur inimici ejus: & fugiant, qui oderunt eum, a facie ejus.

Pſalmus 67.

In Eccleſiis benedicite Deo Domino: de fontibus Iſrael.

Repetitur Antiphona. Ibi Benjamin adoleſcentulus: in mentis exceſſu.

Repetitur Antiphona. Principes Juda, Duces eorum: Principes Zabulon, Principes Nephtali.

Repetitur Antiphona. Manda Deus, virtuti tuæ: confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.

Repetitur Antiphona. A templo ſancto tuo in Jeruſalem: tibi offerent reges munera.

Repetitur Antiphona. Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum: ut excludant eos, qui probati ſunt argento.

Repetitur Antiphona. *Diſſipa gentes*, quæ bella volunt, venient legati ex Ægypto: Æthiopia præveniet manus ejus Deo.

Repetitur Antiphona. Regna terræ cantate Deo: pſallite Domino.

Repetitur Antiphona. Pſallite Deo, qui aſcendit ſuper cœlum cœli: ad orientem.

Repetitur Antiphona. Ecce dabit voci ſuæ vocem virtutis, date gloriam Deo ſuper Iſrael: magnificentia ejus, & virtus ejus in nubibus.

Repetitur Antiphona. Mirabilis Deus in Sanctis ſuis, Deus Iſrael, ipſe dabit virtutem, & fortitudinem plebi ſuæ: benedictus Deus.

Et non dicitur Gloria Patri &c. ſed Antiphona repetitur.

Interim,

Interim, dum Antiphona & Pſalmi prædicti dicuntur, Sacerdos circuit Eccleſiam intrinſecus aſpergendo; aſpergit etiam ſpecialiter loca contaminata, quo facto ſtans in Presbyterio verſus ad Altare dicit;

Deus, qui in omni loco dominationis tuæ, clemens, & benignus purificator aſſiſtis: exaudi nos quæſumus, & concede: ut in poſterum inviolabilis hujus loci permaneat benedictio, & tui muneris beneficia univerſitas fidelium, quæ ſupplicat percipere mereatur. Per Chriſtum &c.

Deinde dicitur Miſſa de die occurrenti.

Simplex Sacerdos tantum ex privilegio Sedis Apoſtolicæ poteſt Eccleſiam ab Epiſcopo conſecratam reconciliare. Et tunc utatur ritu in Pontificali præſcripto. Procedatque indutus amictu, alba, cingulo, ſtola & pluviali albi coloris adhibitis ſecum aliis Presbyteris & Clericis, ſuperpelliceo indutis, cum aqua ab Epiſcopo ad hunc uſum rite benedicta.

RITUS
benedicendi novum Cœmeterium per Sacerdotem ab Epiſcopo delegatum.

Pridie, quam fiat benedictio, ponitur in medio Cœmeterio benedicendo lignea Crux alta ad ſtaturam hominis, & ante ipſam Crucem in terra figitur paxillus tridens ligneus altus ad cubitum unum, aptus ad affigendum illi tres candelas.

Sequenti die, mane Sacerdos in Sacriſtia paratus amictu, alba, cingulo, ſtola & pluviali albi coloris adhibitis aliquot Sacerdotibus & Clericis indutis ſuperpelliceis, qui deferant vaſculum aquæ benedictæ, aſpergillum, & thuribulum cum incenſi navicula, & hoc Rituali Libro, & tribus candelis cereis

reis procedit ad Cœmeterium benedicendum ante Crucem in medio poſitam, & affiguntur & accenduntur tres candelæ, ſtans diſcooperto capite, dicit:

Oremus.

Omnipotens Deus, qui es cuſtos animarum, & tutela ſalutis, fides credentium, reſpice propitius ad noſtræ ſervitutis officium: & ad introitum noſtrum purgetur, ✠ benedicatur, ✠ & ſanctificetur ✠ hoc Cœmeterium, ut humana corpora hic poſt vitæ curſum quieſcentia, in magno judicii die ſimul cum felicibus animabus mereantur adipiſci vitæ perennis gaudia. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Mox ante ipſam Crucem omnes genibus flexis dicunt Litanias ordinarias, incipiente Cantore, cæteris reſpondentibus; & cum dictum fuerit: Ut omnibus fidelibus defunctis &c. te rogamus, audi nos.

Sacerdos ſurgit, & clara voce dicit, producens manu ſignum Crucis. Ut hoc Cœmeterium purgare & bene ✠ dicere digneris, te rogamus audi nos.

Deinde Sacerdos, ut prius genuflectit, & Litaniæ perficiuntur.

Quibus finitis, ſurgunt omnes, & Sacerdos Crucem aſpergit aqua benedicta, dicens Antiphonam:

Aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor: lavabis me, & ſuper nivem dealbabor. Pſalmus: Miſerere mei Deus &c. dicitur totus ab ſtantibus cum

Gloria

Gloria patri &c. ut ſupra pag. 82. quo dicto repetitur Antiphona.

Dum dicitur Pſalmus, Sacerdos circuit, & perambulat totum Cœmeterium, incipiens ad ejus dextram, aſpergens ubique aqua benedicta; quo facto, redit ante Crucem, & ad ipſam reſpiciens dicit:

Oremus.

Deus, qui es totius orbis conditor, & humani generis redemptor, cunctarumque creaturarum viſibillum & inviſibilium, perfectus diſpoſitor; te ſupplici voce, ac puro corde expoſcimus, ut hoc Cœmeterium, in quo famulorum, famularumque tuarum corpora quieſcere debent, poſt curricula hujus vitæ labentia, purgare, ✠ bene ✠ dicere & ſancti ✠ ficare digneris; quique remiſſionem omnium peccatorum per tuam magnam miſericordiam in te confidentibus præſtitiſti; corporibus quoque eorum in hoc Cœmeterio quieſcentibus, & tubam primi Archangeli expectantibus conſolationem perpetuam largiter impertire. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Tunc figit in ſummitate Crucis unam ex tribus candelis ardentibus, & alias duas ſimiliter ardentes in duobus brachiis ejusdem crucis. Deinde incenſat ipſam crucem & aſpergens aqua benedicta, redit cum miniſtris in Sacriſtiam.

ORDO

reconciliandi Cœmeterium violatum, ſive Eccleſiæ contiguum ſit, ſive ſeparatum, ubi Eccleſia non eſt polluta,

Mane diei, qua facienda eſt reconciliatio, Sacerdos, ſi ab Epiſcopo facultatem habeat, adhibitis aliis Sacerdotibus & Clericis indutis ſuperpelliceis, in Sacriſtia, aut alio decenti loco veſtitus amictu, alba, cingulo, ſtola & pluviali albi coloris, accedit ad medium Cœmeterii, Clerico vaſculum aquæ benedictæ, & aſpergillum deferente, & ibi ſuper tapete genuflectit una cum Miniſtris & Cantores, aliique omnes genibus flexis, dicunt Litanias, in quibus cum dictum fuerit; Ut omnibus fidelibus defunctis &c. te rogamus, audi nos.

Sacerdos ſurgit, & manu dextera producens ſignum Crucis ſuper Cœmeterium, clara voce dicit: Ut hoc Cœmeterium reconciliare & ſancti † ficare digneris. Reſp. Te rogamus, audi nos.

Quibus dictis, ut prius genuflectit, Cantoribus Litanias perficientibus. Quibus finitis, ſurgunt omnes, & Sacerdos accepto aſpergillo cum aqua benedicta, inchoat Antiphonam: Aſperges me Domine hyſſopo, Clero proſequente, & mundabor; lavabis me, & ſuper nivem dealbabor. Pſalmus: Miſerere mei Deus &c. dicitur totus pag. 82. fine Gloria Patri, in fine repetitur Antiphona: Aſperges me &c.

Dum hæc dicuntur, Sacerdos circuit totum Cœmeterium, incipiens ad ejus dextram aſpergens ubique aqua benedicta, præſertim in loco, ubi violatio commiſſa eſt. Quo peracto, redit ad locum, ubi Litaniæ dictæ fuerunt, & ibi ſtans, dicit:

Ore-

Oremus.

Miniſtri. Verſ. Flectamus genua.
Reſp. Levate.

Domine pie, qui agrum figuli pretium Sanguinis tui in ſepulturam peregrinorum comparari voluiſti: quæſumus, dignanter reminiſcere clementiſſimi hujus myſterii. Tu es enim Domine, figulus noſter, tu quietis noſtræ ager, tu agri hujus pretium. Tu dediſti etiam, & ſuſcepiſti. Tu de pretio tui vivifici Sanguinis nos requieſcere donaſti. Tu ergo Domine, qui es offenſionis noſtræ clementiſſimus indultor, expectantiſſimus judicator, judicii tui ſuper abundantiſſimus miſerator, judicium tuæ juſtiſſimæ ſeveritatis abſcondens, poſt miſerationem tuæ piæ redemptionis adeſto exauditor, & effector noſtræ reconciliationis; hocque Cœmeterium peregrinorum tuorum, cœleſtis patriæ incolatum expectantium, benignus purifica, & reconcilia, & hic tumulatorum, & tumulandorum corpora de potentia, & pietate tuæ reſurrectionis ad gloriam incorruptionis non damnans, ſed glorificans reſuſcita. Qui venturus es judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. Reſp. Amen.

DE-

DE PROCESSIONIBUS.

Publicæ ſacræque Proceſſiones, ſeu ſupplicationes, quibus ex antiquiſſimo ſanctorum Patrum inſtituto, Catholica Eccleſia, vel ad excitandum fidelium pietatem, vel ad commemoranda Dei beneficia, eique gratias agendas, vel ad divinum auxilium implorandum, uti conſvevit, qua par eſt religione, celebrari debent: continent enim magna, ac divina myſteria, ac ſalutares Chriſtianæ pietatis fructus eas pie exequentes a Deo conſequuntur; de quibus fideles præmonere & erudire, quo tempore magis opportunum fuerit, Parochorum officium eſt.

Videant inprimis Sacerdotes, aliique Eccleſiaſtici Ordinis, ut in his Proceſſionibus ea modeſtia ac reverentia tum ab ipſis, tum ab aliis adhibeatur, quæ piis & religioſis hujusmodi actionibus maxime debetur.

Omnes decenti habitu, ſuperpelliceis, vel aliis ſacris veſtibus, ſine galeris, niſi pluvia cogente, induti, graviter, modeſte, ac devote bini ſuo loco procedentes, ſacris precibus ita ſint intenti, ut remoto riſu, mutuoque colloquio, & vago oculorum aſpectu, populum etiam ad pie, devoteque precandum invitent.

Laici a Clericis, fœminæ a viris ſeparatæ orantes proſequantur.

Præferatur Crux, & ubi fuerit conſuetudo, vexillum ſacris imaginibus inſignitum, non tamen factum militari, ſeu triangulari forma.

Edendi ac bibendi abuſum, ſecumve eſculenta & poculenta deferendi in ſacris Proceſſionibus, agrisque luſtrandis, & ſuburbanis Eccleſiis viſitandis, tollere Parochi ſtudeant: ac fideles præſertim die Dominica, quæ proxime Rogationes antecedit, quam hæc dedeceat corruptela, ſæpius admoneant.

Pro-


Proceſſiones prius fieri debent, deinde Miſſa ſolemniter celebrari: niſi aliter ob gravem cauſam, interdum Ordinario, vel Clero videatur.

Proceſſiones autem quædam ſunt Ordinariæ, quæ fiunt certis diebus per annum, ut in Feſto Purificationis Beatæ Mariæ ſemper Virginis, in Dominica Palmarum, & in Litaniis majoribus in Feſto S. Marci: & in minoribus Rogationum triduo ante Aſcenſionem Domini, & in die Feſto Corporis Chriſti, vel aliis diebus pro conſuetudine Eccleſiarum.

Quædam vero ſunt extraordinariæ, ut, quæ variis ac publicis Eccleſiæ de cauſis in dies indicuntur.

De Proceſſionibus Dominicis diebus, juxta ritum antiquum Provinciæ.


Ante Miſſam majorem Sacerdos celebraturus indutus pluviali coloris Officio convenientis, accedit ad Altare, & ibi ad gradus cum Miniſtris genuflexus etiam tempore Paſchali accipit a Diacono aſperſorium, & primo ter aſpergit Altare, deinde ſe, & erectus miniſtros flectentes, incipiens Antiphonam. Aſperges me. Et chorus proſequitur, Domine hyſſopo &c. ut infra. Interim celebrans aſpergit Clerum; deinde populum, dicens ſubmiſſa voce cum Miniſtris Pſalmum: Miſerere mei Deus, ut ſupra pag. 82.



Ant. A ſper ges - me.

Domine hyſſopo, & mundabor: lavabis me, & ſuper nivem dealbabor. Pſalm. Miſerere mei Deus: ſecundum magnam miſericordiam tuam. Gloria Patri. Et repetitur Antiphona, Aſperges me.

Hæc Antiphona prædicto modo dicitur ad aſperſionem aquæ benedictæ in Dominicis per totum annum: excepta Dominica de Paſſione, & Dominica Palmarum, in quibus non dicitur Gloria Patri ſed poſt Pſalm. Miſerere &c. repetitur immediate Antiph. Aſperges me. Excepto etiam tempore Paſchali, ſcilicet a Dominica Paſchæ uſque ad Pentecoſten incluſive, quo tempore cantatur ſequens.



Ant. Vi - di a quam,

Egredientem de templo a latere dextero, Alleluja: & omnes ad quos pervenit aqua iſta, ſalvi facti ſunt, & dicent, Alleluja, Alleluja. Pſalm. Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia ejus. Gloria Patri. Repetitur Antiphona. Vidi qauam.

In die ſancto Paſchæ, & Pentecoſtes tantum (non vero aliis Dominicis intra Paſcha & Pentecoſten) ubi eſt fons Baptiſmalis, fit aſperſio cum aqua pridie in fonte baptiſmi benedicta, & ex illo ante infuſionem olei, & chriſmatis accepta.

In Dominica vero Trinitatis reſumitur Aſperges me. Quam Antiphonam Sacerdos incipit ante actualem Altaris aſperſionem, & altare aſpergit primo in medio, deinde a parte Evangelii, & denique in parte Epiſtolæ, niſi in eodem Altari expoſitum eſſet Sanctiſſimum, tunc enim ab aſperſione altaris eſt abſtinendum.

Finita Antiphona, ſupradicto modo, Sacerdos, qui aſperſit aquam reverſus ad Altare, ſtans ante gradus altaris junctis manibus dicat Verſ. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam. Tempore Paſchali additur Alleluja. Reſp. Et ſalutare tuum da nobis. Verſ.

Verſ. Domine exaudi orationem meam.
Reſp. Et clamor meus ad te veniat.
Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Exaudi nos Domine ſancte Pater Omnipotens æterne Deus: & mittere digneris ſanctum Angelum tuum de cœlis, qui cuſtodiat, foveat, protegat, viſitet atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Dicta Oratione, propter univerſalis Eccleſiæ uſum in hac Provincia continuatum, retineatur Proceſſio: quæ ſecundum Durandum, in ſuo Rationali lib. 6. cap. 88. continens memoriam Dominicæ Reſurrectionis tali die factæ. In hac autem Proceſſione, aſperſio fit pavimenti templi, vel cœmeterii, & cantus Reſponſorii.

Honor, virtus & poteſtas, & imperium ſit Trinitati in Unitate, Unitati in Trinitate in perenni ſæculorum tempore.

Verſ. Trinitati laus perennis, Unitati ſit decus perpetuum. In perenni ſæculorum tempore.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. In perenni ſæculorum tempore.

Si longior eſt Proceſſio, repetitur Reſponſorium, quod etiam alias obſervandum eſt.


Poſtea in medio Eccleſiæ fit ſtatio, & dicitur:
Verſ. Benedicamus Patrem, & Filium cum ſancto Spiritu.
Reſp. Laudemus & ſuperexaltemus eum in ſæcula.

Oremus.

Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, famulos tuæ Majeſtati ſubjectos per unicum Filium tuum in virtute ſancti Spiritus benedic, & protege: ut ab hoſte ſecuri, in tua jugiter laude lætemur. Per eundem &c. in unitate ejuſdem &c.

Hoc Reſponſorium, verſus & Oratio cantantur a Dominica Trinitatis uſque ad Adventum, & in Dominicis, quæ ſuperſunt poſt Octavam Epiphaniæ, uſque ad Septuageſimam.

Deſuper cantatur Antiphona ſequens:



Pax æ - ter - na.

Chorus.

Ab æterno Patre huic domui, pax perennis Verbum Patris, ſit pax huic domui, pacem pius conſolator huic præſtet domui.

Verſ. Beati, qui habitant in domo tua Domine.
Reſp. In ſæcula ſæculorum laudabunt te.

Oremus.

Domum tuam quæſumus Domine, clementer ingredere: & in tuorum cordibus fidelium perpetuam conſtitue manſionem, & præſta: ut cujus ædificatione ſubſiſtit, ejus fiat habitatione præclara. Per Dominum noſtrum &c.

Anti-

Antiphona Pax æterna non canitur a Nativitate Domini uſque ad feſtum Purificationis B. M. V. item a Dominica Judica uſque a Dominicam Trinitatis.

Ad finem Proceſſionis canitur a Cantoribus Reſponſ. Salvator mundi ſalva nos omnes, ſancta Dei Genitrix Virgo ſemper Maria ora pro nobis, precibus quoque ſanctorum Apoſtolorum, Martyrum, & Confeſſorum, atque ſanctarum Virginum ſuppliciter petimus, ut a malis omnibus eruamur, bonisque omnibus nunc, & ſemper perfrui mereamur.

Sub qua Antiphona Sacerdos pluviale deponit, Caſulam induit, & Cantu finito Miſſam inchoat.

DE PROCESSIONIBUS IN ADVENTU.

Singulis Dominicis Adventus canitur in Proceſſione a Cantoribus.

Antiphona: Miſſus eſt Angelus Gabriel a Deo in Civitatem Nazareth ad Virginem Mariam deſponſatam Joſeph, & dixit ad eam: Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, ideoque, & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei, dixit autem Maria, ecce ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum. Alleluja.

Ad ſtationem in medio Eccleſiæ dicitur:

Verſ. Ave Maria gratia plena Dominus tecum.
Reſp. Benedicta tu in Mulieribus.

Oremus.

Deus, qui de beatæ Mariæ Virginis utero verbum tuum Angelo nuntiante carnem ſuſcipere voluiſti: præſta ſupplicibus tuis; ut qui vere eam Dei genetricem credimus, ejus apud te interceſſionibus adjuvemur. Per eundem Dominum noſtrum &c.

Sequitur Antiphona: Pax æterna.

Verſ. Beati, qui habitant &c.

Oratio. Domum tuam quæſumus Domine. &c. ut ſupra pag. 108.

Ad finem Proceſſionis Antiphona: Ecce Dominus veniet, & omnes ſancti ejus cum eo, & erit in die illa lux magna alleluja. Trina vice.

DE PROCESSIONE IN NATIVITATE DOMINI.

Ad Proceſſionem canitur Reſponſ. Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis, cujus gloriam vidimus, quaſi unigeniti a Patre: plenum gratia & veritate.

Verſ. In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Plenum gratia & veritate. Gloria Patri &c. Plenum gratia & veritate.

Fit ſtatio in medio Eccleſiæ, & dicitur:

Verſ. Notum fecit Dominus alleluja.

Reſp. Salutare ſuum alleluja.

Ore-

Oremus.

Concede quæſumus omnipotens Deus: ut nos unigeniti tui nova per carnem nativitas liberet, quos ſub peccati jugo vetuſta ſervitus tenet. Per eundem Dominum noſtrum &c.

Pax æterna non canitur ab hinc uſque ad feſtum Purificationis.

Ad finem Proceſſionis canitur Antiph. Hodie Chriſtus natus eſt, hodie ſalvator apparuit, hodie in terra canunt Angeli, lætantur Archangeli, hodie exultant Juſti dicentes: Gloria in excelſis Deo. Alleluja.

Si hoc feſtum, ſicut & feſta Circumciſionis & Purificationis incidant in Dominicam, fit aſperſio ante proceſſionem ut ſupra pag. 105.

Dominica infra Octavam omnia fiunt, ut in ipſo feſto Nativitatis Domini.

Ad finem Proceſſionis canitur Antiphona: O beata infantia! per quam noſtri generis reparata eſt vita. O ſacratiſſimi, delectabilesque vagitus! per quos æternos ploratus evaſimus. O felices panni! quibus peccatorum ſordes deterſimus. O præſepe ſplendidum! in quo non ſolum jacuit fœnum animalium, ſed cibus inventus eſt angelorum.

DE PROCESSIONE IN CIRCUMCISIONE DOMINI.

Si hoc feſtum inciderit in diem Dominicam, poſt aſperſionem in proceſſione canitur: Reſp. Verbum Caro, ut ſupra in Nativitate:

Ad

Ad ſtationem in medio Eccleſiæ.

Verſ. Poſt partum Virgo inviolata permanſiſti.
Reſp. Dei Genitrix intercede pro nobis.

Oremus.

Deus, qui ſalutis æternæ Beatæ Mariæ Virginitate fœcunda humano generi præmia præſtitiſti: tribue quæſumus; ut ipſam pro nobis intercedere ſentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ ſuſcipere. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum &c.

Ad finem proceſſionis dicitur Antiphona: O beata infantia. Ut ſupra Dominica infra Octavam Nativitatis.

Et hoc modo ſervatur Proceſſio in Dominicis uſque ad feſtum Purificationis, non obſtante, ſi interveniret ſeptuageſima.

DE PROCESSIONE IN EPIPHANIA DOMINI.

Si Epiphania fuerit die Dominica, poſt aſperſionem in proceſſione canitur.

Reſp. Verbum Caro. Ut ſupra in Nativ.
Ad ſtationem in medio dicitur:
Verſ. Poſt partum &c.
Oratio. Deus, qui ſalutis, ut in die Circumciſionis.

Ad finem proceſſionis canitur Antiphona: Hodie cœleſti Sponſo juncta eſt Eccleſia, quoniam in Jordane lavit Chriſtus ejus crimina, currunt cum muneribus Magi ad regales nuptias, & ex aqua facto vino lætantur convivæ Alleluja.

Extra diem dominicum in feſto Circumciſionis, & Epiphaniæ nulla fit proceſſio.

Dominica infra octavam Epiphaniæ omnia ſervantur, ut in die Circumciſionis notatum eſt.

DE PROCESSIONE
in die feſto Purificationis B. Mariæ Virginis.

Completa benedictione, & diſtributione candelarum, ut in Miſſali Romano reformato, fit proceſſio. Et primo celebrans imponit incenſum in thuribulum: deinde Diaconus vertens ſe ad populum dicit:



Et Chorus reſpondet:



Præcedit thuriferarius cum thuribulo fumigante; deinde Subdiaconus paratus deferens Crucem medius inter duos Acolythos cum candelabris, & candelis accenſis, imagine Crucifixi verſa ad thuriferarium; ſequitur Clerus per ordinem, ultimo celebrans cum Diacono a ſiniſtris, omnes cum candelis accenſis in manibus: & cantantur Antiphonæ ſequentes, in verſus redactæ, ut commodius cantentur.



Amplectere Mariam: quæ eſt cœleſtis porta:
Ipſa enim portat Regem gloriæ, novi luminis:
Subſiſtit Virgo adducens manibus Filium; ante luciferum genitum.

Quem accipiens Simeon in ulnas ſuas prædicavit populis, Dominum eum eſſe vitæ & mortis, & Salvatorem mundi.

Reſponſum accepit Simeon a Spiritu ſancto, non viſurum ſe mortem, niſi videret Chriſtum Domini.

Et cum inducerent puerum in templum: accepit eum in ulnas ſuas, & benedixit Deum, & dixit:
Nunc dimittis ſervum tuum *Domine: ſecundum* verbum tuum in pace.

Cum inducerent puerum JEſum parentes ejus, ut facerent ſecundum conſuetudinem legis pro eo: ipſe accepit eum in ulnas ſuas.

Si longior fiat Proceſſio canitur.

Obtulerunt Domino par turturum, aut duos pullos columbarum.
Sicut ſcriptum eſt in lege Domini.

Poſtquam impleti ſunt dies purgationis Mariæ: ſecundum legem Moyſi.

Tulerunt Jeſum in Jeruſalem: ut ſiſterent eum Domino.
Sicut ſcriptum eſt in lege Domini.
Gloria Patri & Filio: & Spiritui ſancto.
Sicut ſcriptum eſt in lege Domini.

Poſtea

Poſtea fit ſtatio in medio Eccleſiæ, & dicitur:

Verſ. Poſt partum Virgo inviolata permanſiſti. additur: Alleluja, ſi fuerit ante ſeptuageſimam.

Reſp. Dei Genitrix, intercede pro nobis.

Oratio.

Deus, qui ſalutis &c. ut ſupra in circumciſione pag. 112.

Ad finem Proceſſionis canitur Antiph. Hodie beata Virgo Maria puerum JEſum præſentavit in templo, & Simeon repletus Spiritu Sancto accepit eum in ulnas ſuas, & benedixit Deum in æternum.

Finita Proceſſione celebrans, & Miniſtri depoſitis violaceis, accipiunt paramenta alba pro Miſſa. Et candelæ tenentur in manibus accenſæ, dum legitur Evangelium, & iterum ad elevationem Sacramenti uſque ad Communionem.

Si poſt feſtum Purificationis ante ſeptuageſimam aliqua Dominica intervenerit, tunc ad proceſſionem canitur; Reſp. Deus, qui ſedes ſuper Thronum, & judicas æquitatem, eſto refugium pauperum in tribulatione; quia tu ſolus laborem & dolorem conſideras.

Verſ. Tibi enim benedictus eſt pauper, pupillo tu eris adjutor. Quia tu ſolus laborem & dolorem conſideras. Gloria Patri &c. Quia tu ſolus &c.

Deinde ad ſtationem in medio Eccleſiæ dicitur:

Verſ. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam.

Reſp. Et ſalutare tuum da nobis.

Oratio Dominicalis.

Antiph. Pax æterna: cum Verſu & collecta canitur uſque ad Dominicam Judica exclusive, uti in Dominica Trinitatis.

Ad finem proceſſionis cantatur Antiphona: Salvator mundi &c. ut ſupra pag. 109.

IN DIE CINERUM.

Celebrans amictu, alba, ſtola & pluviali violaceo indutus, Cineres juxta præſcriptum Miſſalis Romani benedicit, ac eosdem a digniori de Clero ſtans accipit, aut ſi alius Sacerdos non adſit, illos ſibi ipſi quaſi a Deo acciperet, genuflexus, & nihil dicens imponit, deinde dicto digniori, Miniſtris, & aliis Clericis ſecundum ordinem ad altare, Laicis vero ad Cancellos flectentibus diſtribuit, ſuper capita ſingulorum Crucem formans, atque dicens:

Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.

De Proceſſionibus per Quadrageſimam omnibus feriis textis feſto duplici, aut ſemiduplici non impeditis pro conſuetudine Eccleſiarum.

Celebrans pluviali violaceo, vel ſaltem alba, & ſtola directi coloris indutus, cum Miniſtris procedit ad altare, & ad infimum illius gradum genuflexus incipit Antiphonam:



Proſequitur Chorus.

Quoniam benigna eſt miſericordia tua ſecundum multitudinem miſerationum tuarum reſpice nos Domine.

Verſ.

Verſ. Salvumme fac Deus, quoniam intraverunt aquæ uſque ad animam meam.

Gloria Patri &c. & repetitur Antiph. Exaudi &c.

Deinde in tono feriali dicit Sacerdos.

Verſ. Peccavimus cum Patribus noſtris.

Reſp. Injuſte egimus, iniquitatem fecimus.

Oremus.

Flectamus genua, & dicit flectendo: Preces populi tui quæſumus Domine, clementer exaudi: ut qui juſte pro peccatis noſtris affligimur; pro tui nominis gloria miſericorditer liberemur. Levate. Per Dominum noſtrum &c.

Poſtea canitur a Cantoribus Reſponſorium:

Emendemus in melius, quæ ignoranter peccavimus, ne ſubito præoccupati die mortis, quæramus ſpatium pœnitentiæ, & invenire non poſſimus. Attende Domine, & miſerere, quia peccavimus tibi.

Stante interim Sacerdote, donec inceptæ fuerint Litaniæ, tunc genuflexus uſque ad Sancta Maria, ora pro nobis. Poſtmodum ſurgens peragit circuitum per Eccleſiam, quo peracto ante majus altare dicit: Pater noſter &c. dicitur ſecreto. & ne nos inducas in tentationem.

Reſp. Sed libera nos a malo.

Pſalmus 69.

Deus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me feſtina.

Confundantur & revereantur: qui quærunt animam meam.

Avertantur retrorſum, & erubeſcant: qui volunt mihi mala.

Avertantur ſtatim erubeſcentes: qui dicunt mihi, Euge, Euge.

Exultent, & lætentur in te omnes, qui quærunt te: & dicant ſemper, magnificetur Dominus, qui diligunt ſalutare tuum.

Ego vero egenus & pauper ſum: Deus adjuva me.

Adjutor meus, & liberator meus es tu: Domine, ne moreris.

Gloria Patri, & Filio &c.

Verſ. Salvos fac ſervos tuos.
Reſp. Deus meus ſperantes in te.
Verſ. Eſto nobis Domine turris fortitudinis.
Reſp. Ac facie inimici.
Verſ. Nihil proficiat inimicus in nobis.
Reſp. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.
Verſ. Domine non ſecundum peccata noſtra facias nobis.
Reſp. Neque ſecundum iniquitates noſtras retribuas nobis.
Verſ. Oremus pro Pontifice noſtro N.
Reſp. Dominus conſervet eum & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum ejus.
Verſ. Oremus pro benefactoribus noſtris.
Reſp. Retribuere, dignare Domine omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam æternam. Amen.

Verſ.

Verſ. Oremus pro fidelibus defunctis.
Reſp. Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis.
Verſ. Requieſcant in pace.
Reſp. Amen.
Verſ. Pro fratribus noſtris abſentibus.
Reſp. Salvos fac ſervos tuos, Deus meus, ſperantes in te.
Verſ. Mitte eis Domine auxilium de ſancto.
Reſp. Et de Sion tuere eos.
Verſ. Domine exaudi orationem meam.
Reſp. Et clamor meus ad te veniat.
Verſ. Dominus vobiſcum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Deus, cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere: ſuſcipe deprecationem noſtram, ut nos, & omnes famulos tuos, quos delictorum catena conſtringit, miſeratio tuæ pietatis clementer abſolvat.

Exaudi, quæſumus Domine, ſupplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis: ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus & pacem.

Ineffabilem nobis Domine, miſericordiam tuam clementer oſtende: ut ſimul nos, & a peccatis omnibus exuas, & a pœnis, quas pro his meremur, eripias.

Deus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces populi tui ſupplicantis propitius reſpice; & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis noſtris meremur, averte.

Omni-

Omnipotens ſempiterne Deus, miſerere famulo tuo Pontifici noſtro N. & dirige eum ſecundum tuam clementiam in viam ſalutis æternæ: ut te donante tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat.

Deus, a quo ſancta deſideria, recta conſilia, & juſta ſunt opera, da ſervis tuis illam, quam mundus dare non poteſt pacem, ut & corda noſtra mandatis tuis dedita, & hoſtium ſublata formidine, tempora ſint tua protectione tranquilla.

Ure igne ſancti Spiritus renes noſtros, & cor noſtrum Domine; ut tibi caſto corpore ſerviamus, & mundo corde placeamus.

Fidelium Deus omnium conditor, & redemptor animabus famulorum, famularumque tuarum, remiſſionem cunctorum tribue peccatorum; ut indulgentiam, quam ſemper optaverunt, piis ſupplicationibus conſequantur.

Actiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præveni, & adjuvando proſequere; ut cuncta noſtra oratio & operatio a te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui vivorum dominaris, ſimul & mortuorum, omniumque miſereris, quos tuos fide & opere futuros eſſe prænoſcis: te ſupplices exoramus, ut pro quibus effundere preces decrevimus, quosque, vel præſens ſæculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore ſuſcepit,

pit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis pietatis tuæ clementia, omnium delictorum ſuorum veniam conſequantur. Per Dominum noſtrum &c.

Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.
Verſ. Exaudi nos omnipotens & miſericors Dominus.
Reſp. Amen.
Verſ. Et fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace. Reſp. Amen.

His finitis Sacerdos depoſito pluviali induit Caſulam & peragit Miſſam.

DE PROCESSIONIBUS
IN DOMINICIS QUADRAGESIMÆ.
Dominica I. Quadrageſimæ.

Facta aſperſione ad proceſſionem canitur Reſp. Ductus eſt JEſus in deſertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo, & accedens tentator dixit ei: ſi Filius Dei es, dic, ut lapides iſti panes fiant.

Verſ. Et cum jejunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit, & accedens tentator &c.

Ad ſtationem in medio Eccleſiæ.

Verſ. Ipſe liberavit me de laqueo venantium.
Reſp. Et a verbo aſpero.

Oremus.

Fac nos quæſumus Domine prompta tibi voluntate ſubjectos: & ad ſupplicandum tibi noſtras ſemper excita voluntates. Per Dominum noſtrum &c.

Dicitur Pax æterna: & ad finem proceſſionis Salvator mundi, ut ſupra pag. 109.

Dominica II. Quadrageſimæ.

Facta aſperſione ad proceſſionem canitur. Reſp. Si Dominus Deus meus fuerit mecum in via iſta, qua ego ambulo, & cuſtodierit me, & dederit mihi panem ad edendum, & veſtimentum, quo operiar, & revocaverit me cum ſalute, erit mihi Dominus in refugium, & lapis iſte in ſignum.

Verſ. Si reverſus fuero proſpere in domum Patris mei. Erit mihi Dominus &c.

Ad ſtationem.

Verſ. Ipſe liberavit me de laqueo venantium.
Reſp. Et a verbo aſpero.

Oremus.

Familiam tuam quæſumus Domine, propitius illuſtra: ut beneplacitis tuis inhærendo, quæ bona ſunt mereatur accipere. Per Dominum noſtrum &c.

Dicitur Pax æterna: Et ad finem Proceſſionis: Salvator mundi, ut ſupra.

Domi-

Dominica III. Quadrageſimæ.

Facta aſperſione ad proceſſionem canitur Reſp. Nuntiaverunt Jacob dicentes: Joſeph filius tuus vivit, & ipſe dominatur in tota terra Ægypti, quo audito revixit ſpiritus ejus & dixit: ſufficit mihi: vadam, & videbo eum, antequam moriar.

Verſ. Cumque audiſſet Jacob, quod filius ejus viveret, quaſi de gravi ſomno evigilans ait: Sufficit mihi &c.

Ad ſtationem.

Verſ. Ipſe liberavit me de laqueo venantium.
Reſp. Et a Verbo aſpero.

Oremus.

Propitiare quæſumus Domine ſupplicationibus noſtris, & animarum noſtrarum medere languoribus: ut remiſſione percepta de tua ſemper protectione lætemur. Per Dominum noſtrum &c.

Dicitur Pax æterna, & poſt proceſſionem: Salvator mundi, ut ſupra.

Dominica IV. Quadrageſimæ.

Facta aſperſione ad proceſſionem canitur Reſp. Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat ſemper, obſerva, & audi vocem meam, & inimicus ero inimicis tuis, & affligentes te affligam: & præcedat te Angelus meus.

Verſ. Iſrael, ſi me audieris, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum, ego enim Dominus. Et præcedat te &c.

Ad ſtationem.

Verſ. Ipſe liberavit me de laqueo venantium.
Reſp. Et a verbo aſpero.

Oremus.

Concede quæſumus miſericors Deus, ut ſicut nos tribuis ſolemne tibi deferre *jejunium*: ſic nobis indulgentiæ præbe benignus auxilium. Per Dominum noſtrum &c.

Dicitur Pax æterna, **& ad finem proceſſionis:** Salvator mnndi, **ut ſupra.**

Dominica Paſſionis.

Facta aſperſione ad proceſſionem canitur Reſp. Qui cuſtodiebant animam meam, conſilium fecerunt in unum dicentes: Deus dereliquit eum, perſequimini & comprehendite eum, quia non eſt, qui liberet eum. Deus meus, ne longe eas a me, Deus meus in adjutorium meum intende.

Verſ. Omnes inimici mei adverſum me cogitabant mala mihi, verbum iniquum mandaverunt adverſum me dicentes: Deus meus, ne longe &c.

Ad ſtationem.

Verſ. Ne perdas cum impiis Deus animam meam.
Reſp. Et cum viris ſanguinum vitam meam.

Ore-

Oremus.


Benedictio tua quæſumus Domine ſuper tuos fideles deſcendat: & quæ ſubjectis cordibus expetunt, largiter exequantur. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum Filium tuum &c.

Ab hinc uſque ad feſtum Sanctiſſimæ Trinitatis non dicitur Pax æterna, ad finem vero proceſſionis dicitur Salvator mundi, ut ſupra.

DE PROCESSIONE
IN DIE PALMARUM.

In Dominica Palmarum facta, ut in Miſſali Rom. benedictione & diſtributione Palmarum, ſeu Olivarum poſt ultimam Orationem, Omnipotens ſempiterne Deus.

Fit proceſſio, ac primum celebrans imponit incenſum in thuribulum, & Diaconus vertens ſe ad populum dicit:



Pro ce damus in pace.

Et Chorus reſpondet:



In nomine Chriſti Amen.

Præcedit thuriferarius cum thuribulo fumigante; deinde Subdiaconus depoſito manipulo deferens Crucem medius in-

ter duos Acolythos cum candelabris, & candelis accenſis, imagine Crucifixi verſa ad Thuriferarium; ſequitur Clerus per ordinem; ultimo celebrans cum Diacono a ſiniſtris, omnes cum tamis in manibus: & cantantur ſequentes Antiphonæ vel omnes, vel aliquæ quouſque durat Proceſſio, ad verſus redactæ, ut commodius cantentur.



Ant. Cum appropinquaret Dominus Je - ro - ſo ly - mam



miſit duos ex Diſcipulis ſu - is dicens:

Ite in Caſtellum, quod contra vos eſt: & invenietis pullum Aſinæ alligatum, ſuper quem nullus hominum ſedit.

Solvite eum: & adducite mihi.

Si quis vos interrogaverit; dicite opus Domino eſt.

Solventes adduxerunt ad JEſum, & impoſuerunt illi veſtimenta ſua; & ſedit ſuper eum.

Alii expandebant veſtimenta ſua in via: alii ramos de arboribus ſternebant.

Et qui ſequebantur clamabant: Hoſanna, benedictus, qui venit in nomine Domini.

Benedictum regnum patris noſtri David: Hoſanna in excelſis; miſerere nobis Fili David.

Alia Antiphona: Cum audiſſet populus, quia JEſus

JEſus venit Jeroſolymam: acceperunt ramos Palmarum.

Et exierunt ei obviam, & clamabant pueri dicentes.

Hic eſt, qui venturus eſt in ſalutem populi.

Hic eſt ſalus noſtra, & redemptio Iſrael.

Quantus eſt iſte, cui Throni & Dominationes occurrunt?

Noli timere filia Sion, ecce Rex tuus venit tibi ſedens ſuper pullum Aſinæ: ſicut ſcriptum eſt.

Salve Rex fabricator mundi: qui veniſti redimere nos.

Alia Antiphona: Ante ſex dies ſolemnis Paſchæ, quando venit Dominus in civitatem Jeruſalem.

Occurrerunt ei pueri; & in manibus portabant ramos Palmarum.

Et clamabant voce magna, dicentes: Hoſanna in excelſis.

Benedictus, qui veniſti in multitudine miſericordiæ tuæ: Hoſanna in excelſis.

Alia Antiphona: Occurrunt turbæ cum floribus, & palmis Redemptori obviam, & victori triumphanti digna dant obſequia.

Filium Dei ore gentes prædicant; & in laudem Chriſti voces tonant per nubila: Hoſanna in excelſis.

Alia Antiphona. Cum Angelis & pueris fideles inveniamur triumphatori mortis clamantes: Hoſanna in excelſis.

Alia


Alia Antiphona. Turba multa, quæ convenerat ad diem feſtum, clamabat Domino: Benedictus, qui venit in nomine Domini: Hoſanna in excelſis.

In reverſione Proceſſionis duo, vel quatuor Cantores intrant in Eccleſiam, & clauſo oſtio ſtantes verſa facie ad Proceſſionem incipiunt. Verſ. Gloria laus & decantant duos primos verſus, Sacerdos vero cum aliis extra Eccleſiam repetit eosdem. Deinde, qui ſunt intus, cantant verſus ſequentes, vel omnes, vel partem, prout videbitur; & qui ſunt extra, ad quoslibet duos verſus reſpondent: Gloria laus, Sicut a principio.



Cætus


Cætus in excel - ſis Te laudet cœ - li - cus omnis, Et
morta - lis ho - mo & cuncta crea - ta ſimul. Glo ri a &c.
Plebs He - bræ a ti - bi cum palmis ob - via venit, Cum
prece, voto, hymnis adſumus ec - ce tibi. Glo - ri a &c.
Hi ti bi paſſu - ro ſolvebant mu - ni - a laudis: Nos tibi
re - gnanti pangimus ec - ce melos. Glo - ri a &c.
Hi placu - ere ti - bi place - at de - vo - ti - o noſtra;
Rex bone, Rex clemens, cui bo - na cuncta placent.



Glo - ri - a &c.

Poſtea Subdiaconus haſtili crucis percutit portam, qua ſtatim aperta, proceſſio intrat Eccleſiam cantando Reſponſorium:

Ingrediente Domino in ſanctam civitatem: Hebræorum pueri reſurrectionem vitæ pronuntiantes:

Cum ramis palmarum; Hoſanna clamabant in excelſis.

Cum audiſſet populus, quod JEſus veniret Jeroſolymam; exierunt obviam ei. Cum ramis. & non dicitur Gloria Patri.

Deinde dicitur Miſſa, & rami tenentur in manibus, dum cantatur Paſſio & Evangelium tantum.

Si Proceſſio intra Eccleſiam habeatur, tum, quod ante ejus portam agendum erat, fiat in reditu ad veſtibulum chori, vel Presbyterii.

ORDO SERVANDUS.

Feria quinta, ſexta, & Sabbato Majoris Hebdomadæ.

Quoad tria matutina tenebrarum, quæ pridie poſt tempus veſpertinum ſolent haberi, & reliquas horas Canonicas, ſervetur præſcriptum Breviarii Romani ſine ulla additione, immutatione, atque demptione.

Pueri, ſeu alii fragoris tantum faciendi gratia adventantes ad Eccleſiam (ne dum ad Chorum) minime admittantur, imo ſi ſint, inde expellantur.

Quæ vero circa Miſſæ ſacrificium, reponendum, ac reportandum proceſſionaliter Venerabile Sacramentum, denudanda

danda Altaria, adorationem Crucis, Benedictionem ignis, novi Cerei Paſchalis, Fontis Baptismalis, & reliquum Officium ante-meridianum, hoc triduo agenda ſunt: Advertat Sacerdos, ut ea omnia accurate peragat, juxta præſcriptum, quod ſequitur, nec non Miſſalis Romani, nihil omnino demendo, nihil immutando, nihil addendo. Quocirca meminerit. Feria quinta hujus majoris Hebdomadæ non duas tantum, ſed tres conſecrare hoſtias, quarum unam tunc ſumat, ſecundam pro oſtenſorio, ſeu quod vulgo Monſtrantia dicitur, tertiam vero in calice, vel alio vaſe mundo in craſtinum ſervet. Prout hic locorum moris eſt.

Retinendus etiam ſolemnis Eccleſiæ mos eſt, ut cantato ad Miſſam Feriæ Quintæ Hymno: **Gloria in excelſis &c.** deinceps non pulſentur campanæ, donec cantetur iterum dictus Hymnus in Miſſa Sabbati ſancti, adhibitis interim crepitaculis, ſeu ligneo malleo. Poſtquam autem in Miſſa Sabbati **Gloria in excelſis &c.** cantatum eſt, per totam illam diem, quoties ratio poſtulat, pulſandæ ſunt campanæ, non obſtante, quod Corpus Domini adhuc ſit in ſepulchro.

Ubi in pluribus Eccleſiis fit Officium, non debent pulſari campanæ, antequam auditæ ſint in Eccleſia principaliori loci.

Quandoquidem præfata Feria quinta ſacrum Chriſma cum aliis oleis ab Epiſcopo ſolemniter conſecratur, ex quibus deinde ad ſingulas Parochias aliquid transferendum eſt, meminerit Parochus, ut virum fidum & probatum ad hæc ſacra olea petenda, recipienda, & transportanda tempeſtive mittat ad Eccleſiam Cathedralem, ſi diſtantia loci id patiatur, ſin minus ad ſuum ruralem Decanum, ſeu Archipresbyterum.

Præterea purget pixides, easque nitidiſſime ſervet, quibus ſacra olea infunduntur, ut, ne quid fœdi, & irreverentiæ circa ea committatur, unde ſæpe ad eum locum inviſendum,

in

in quo ſacra olea cuſtodiuntur, veniat, videatque, ut munda, & compoſita illic ſerventur omnia.

Vetus autem Chriſma, cum reliquis oleis ſequenti Sabbato ſancto, in loco decenti, vel, ut hic moris eſt, in ampulla coram ſepulchro, ubi continetur SS. Sacramentum, concremandum eſt.

Et ſiquidem feria quinta majoris Hebdomadæ tres illæ hoſtiæ, ut ſupra, conſecratæ cum aliis particulis ſacris in aliqua Capella, vel loco ab altari, ad quod mane celebratur, diſtincto, velis pretioſis, non tamen nigris & luminaribus decenter ornato, & bene munito, adorandæ, ac venerandæ exponi ſolent: Parochi cura erit, ne circa ejusmodi locum, vel minima irreverentia committatur, ſed Deo præſenti pro inſtituto hac ipſa die SS. Euchariſtiæ Sacramento debitæ exſolvantur gratiarum actiones.

DE PROCESSIONE IN DIE PARASCEVES.

Quando venerabile Sacramentum deportatur ad ſepulchrum.

Feria ſexta Paraſceves, vel ante, paretur, & ornetur locus pro ſepulchro, velis, luminaribus, ac imaginibus devotionem fidelium excitantibus, nullatenus autem figuris, & repræſentationibus profanis, factaque Communione Sacerdos ſtans imponit incenſum absque benedictione, & genuflexus ter incenſat venerabile Sacramentum, interim ordinatur lugubris proceſſio præcedente Cruce, quam ſequitur Clerus more ſolito luminaria ferens, ultimo autem loco Sacerdos pluviali, vel in hujus defectu Caſula nigri coloris indutus Calicem coopertum, vel monſtrantiam velo albo manibus geſtans, & cum miniſtris ſub baldachino incedens, choro interim cantante Reſponſorium.

Ecce

Ecce quomodo moritur Juſtus, & nemo percipit corde, viri juſti tolluntur, & nemo conſiderat, a facie iniquitatis ſublatus eſt juſtus, & erit in pace memoria ejus.

Verſ. In pace factus eſt locus ejus, & in Sion habitatio ejus. Et erit in pace &c.

Vel in minoribus Eccleſiis maxime ruralibus cantatur alia cantilena lugubris in lingua vernacula. Thurificantibus continuo duobus Thuriferariis, vel ſaltem uno, adhibito quoque crepitaculo, vel malleo ligneo.

Dum pervenitur ad locum ſepulchri, Sacerdos venerabile Sacramentum ſuper Corporali mundo ſtrato collocat, ac illud ter incenſat. Deinde ſacram hoſtiam in calice, vel monſtrantia ad præparatum ibidem tabernaculum, vel etiam locum conſpicuum ad hoc decenter aptatum populo adorandum deponit, non vero ſtatuis & figuris, quanquam ſacris applicat, v. g. perforatis earum pectoribus ingerendo, vel alio modo ſimili abſcondendo, & repræſentando, hujusmodi enim abuſus ut pote ſacris Eccleſiæ ritibus contrarius omnino eſt abolendus.

Repoſita ſuo loco SS. Evchariſtia, Sacerdos cum miniſtris flectit, quouſque a Cantoribus finiatur Reſponſorium: Sepulto Domino ſignatum eſt monumentum: volventes lapidem ad oſtium monumenti: Ponentes milites, qui cuſtodirent illud.

Verſ. Ne forte veniant Diſcipuli ejus, & furentur eum, & dicant plebi ſurrexit a mortuis. Ponentes milites &c.

Poſtea, ubi moris eſt, ante oſtium ſepulchri, & quidem in prioribus gradibus, ſternitur pannus violacei, vel fuſci coloris,

loris, ac eidem pulvinar, pulvinari vero Crux superimponitur populo exoſculanda.

Ad ſepulchrum, ut ſupra paratum, adhibendi ſunt cuſtodes die, noctuque, nec deeſſe debent, qui ſecundum ritum antiquum devote pſallant. Quia vero hæc Cæremonia in plurimis locis de nocte practicari haud poteſt, fiat per diem in Eccleſiis ſaltem majoribus.

Ubi in ſepulchro non habetur Tabernaculum, ſed venerabile Sacramentum in loco patulo eſt expoſitum, neque requiſiti Cuſtodes, & pſallentes adſunt, tum ſanctiſſimum in hac ſtatione per noctem non eſt relinquendum, ſed rectius procedet Sacerdos, ſi illud veſperi devotione finita, præcedentibus luminaribus, & crepitaculo reſonante ad ſolitum reſervatorium ſacrarum particularum deportaverit, & altero mane eodem modo ad ſepulchrum retulerit. Invigilet etiam Sacerdos, ne a pſallentibus, & iis, quibus per diem ſepulchri, & luminarium cura eſt impoſita, committatur aliquid, quod reverentiæ & venerationi loco tali, & ipſimet SS. Evchariſtiæ Sacramento debitæ quoquo modo adverſaretur.

DE APERTIONE SEPULCHRI, ET PROCESSIONE in nocte ſancta Paſchæ.

In ſacra nocte glorioſiſſimæ Reſurrectionis Dominicæ circa ſeptimam, vel aliam horam veſpertinam, pro locorum conſuetudine, Sacerdos indutus paramentis ſolemnioribus, alba, ſtola, & Pluviali albi coloris vadit in ſilentio cum miniſtris & clero, præcedentibus vexillis, Thuriferariis, cruce proceſſionali, & cæroferariis recta ad ſepulchrum, ad quod cum pervenerint flexis genibus cantant antiphonam, & Pſalmum ſequentem:

Gloria

Gloria tibi Trinitas æqualis, una Deitas; & ante omnia ſæcula, & nunc & in perpetuum.

Pſalmus 116.

Laudate Dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia ejus: & veritas Domini manet in æternum.

Gloria Patri & Filio &c.

Repetitur Antiph. Gloria tibi &c. Deinde dicit Sacerdos: Kyrie eleiſon. Reſp. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter.


Verſ. Et ne nos inducas in tentationem.
Reſp. Sed libera nos a malo.
Verſ. In Reſurrectione tua Chriſte, Alleluja.
Reſp. Cœli & terra lætentur, Alleluja.
Verſ. Dominus vobiſcum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Domine Jeſu Chriſte, Rex gloriæ, humilis in Paſſione, potens in Reſurrectione, mortis, infernique deſtructor, quod olim per Prophetas in ſcripturis promiſiſti, hodie devicta morte reſurgendo impleſti; propter quod omnis cœleſtis militiæ Spiritus, & totus terrarum orbis profuſo mentis gaudio, exultando te reſurgentem adorant, & glorificant. Tartareæ quoque nimirùm formidant, ac tremunt poteſtates. Nos autem tuæ dignationis humiles ſervuli, glorioſæ

glorioſæ reſurrectionis tuæ memoriam unanimi voto devotiſſime celebrantes, ecce frequentes adſumus, & exuberantis tuæ in nos charitatis memores, pias non continemus lacrymas. Reſpice quæſumus humilitatis noſtræ obſequia: & præſta, ut deterſis peccatorum noſtrorum ſordibus in his Paſchalibus ſolemniis tibi reſurgere, ac ſanctiſſimæ Paſſionis, ac reſurrectionis tuæ fructus capaces eſſe mereamur. Qui vivis & regnas Deus, in ſæcula ſæculorum. Reſp. Amen.

Finita oratione Sacerdos ſurgit, Tabernaculum ſi adeſt, aperit, & impoſito absque benedictione incenſo Sanctiſſimum in calice aſſervatum, vel in monſtrantia publice expoſitum genuflexus triplici ductu thurificat, deinde accepto ſuper humeros velo albo oblongo ſurgens, ad ſanctiſſimum accedit, illudque de ſtatione ſua elevans, ac ſe ad populum vertens incipit ſequens Reſponſorium.



Mox tubis ſonantibus promitur ſtatua, ſeu imago Reſurrectionis D. N. J. Chriſti, & traditur miniſtro Eccleſiæ, ante Crucem proceſſionalem deferenda.

Chorus vero inceptum Reſponſorium in progreſſu circuitus apertis, ac jucundis vocibus proſequitur poſt quemlibet verſiculum interponens Verſum ex Hymno Germanico: **Chriſt iſt erſtanden** ꝛc. vel Polonico: **Chryſtus zmartwych wſtal ieſt** &c.

Circui-

Circuitus ſit per Eccleſiam ſemel, vel ter ſecundum locorum conſuetudinem præcedente cum luminibus clero, ac thuribulis ante ſanctiſſimum, quod ſub umbella portatur, continuo fumigantibus, populo autem ſequente, tintinnabulis quoque in manibus puerorum ſuperpelliceis indutorum, & campanis omnibus in turri Eccleſiæ feſtive reſonantibus, peracto Circuitu, Sacerdos ad majus Altare aſcendit, & eo perveniens, venerabile Sacramentum ſuper corporali mundo prius extenſo reponit, ac facta de more thurificatione, imagineque Reſurrectionis dominicæ ſuper eodem altari ad cornu Evangelii collocata. In majoribus Eccleſiis, in quibus hac nocte fit matutinum, canitur:

Verſ. **In Reſurrectione tua Chriſte, Alleluja.**
Reſp. **Cœli & terra lætentur, Alleluja.**

Oremus.

Deus, qui nos Reſurrectionis Dominicæ, annua ſolemnitate lætificas: concede propitius: ut per temporalia feſta, quæ agimus, pervenire ad gaudia æterna mereamur. Per eundem &c.

Poſt collectam Sacerdos velo, ut ſupra, circumdatus SS. Evchariſtiam reverenter accipit, & ſtans cum eodem populo in modum Crucis una vice tantum benedicit, nihil dicens, & circulum perficiens, ſub qua benedictione Cantores ſilent, eaque finita Sacerdos V. Sacramentum absque ulteriori incenſatione in tabernaculo recondit, & in Choro matutinum inchoatur.

In minoribus autem Eccleſiis, in quibus matutinum hac nocte non habetur, poſt circuitum portato ad altare majus venerabili Sacramento Sacerdos pro loci conſuetudine poteſt intonare Hymnum: **Te DEum laudamus &c.** & ubi hunc chorus canendo abſolverit, deſuper dicere Verſ. **In Reſurrectione**

rectione &c. cum Collecta Deus, qui nos Reſurrectionis &c. ac demum populo in ſilentio dare benedictionem ut ſupra.

Poſt hæc venerabile Sacramentum, ut ſupra, reconditur, & a Choro cantatur Antiphona;

Regina cœli lætare, Alleluja &c.

Deinde canit Sacerdos:

Verſ. Gaude & lætare Virgo Maria, Alleluja.
Reſp. Quia ſurrexit Dominus vere, Alleluja.

Oremus.

Deus, qui per Reſurrectionem Filii tui Domini noſtri JEſu Chriſti, familiam tuam lætificare dignatus es: præſta quæſumus, ut per ejus genitricem Virginem Mariam, perpetuæ capiamus gaudia vitæ. Per eundem &c. Reſp. Amen.

PROCESSIO PASCHATIS,

ante majorem Miſſam.


Celebrans cum miniſtris ad majus altare accedit, & ad aſperſionem aquæ intonat: Vidi aquam; uti dictum eſt ſupra de Proceſſionibus in Dominicis diebus. Deinde canitur Reſponſorium: Cum Rex gloriæ &c. & egreditur Proceſſio in Cœmeterium cœlo ſereno (alias intra Eccleſiam perficitur) præcedentibus vexillis, imagine Reſurrectionis, cruce proceſſionali ac cæroferariis.

Quod & in aliis Proceſſionibus tempore Paſchali obſervatur.

Poſt Reſponſorium cum Rex gloriæ &c. cantatur Hymnus ſequens:

Salve


Salve feſta dies, toto venerabilis ævo,
qua Deus infernum vicit, & aſtra tenet.
Ecce renaſcentis teſtatur gratia mundi omni-
a cum Domino donat redire ſuo. Namque
triumphanti poſt triſtia tartara Chriſto
undique fronde nemus gramina flore favent.
Legibus inferni oppreſſis ſuper aſtra meantem laudant rite Deum lux polus, arva, fretum.



Dum hi verſus canuntur, tota Proceſſio ſubſiſtit. Poſt quemlibet autem verſum progrediente Proceſſione populus vulgarem cantum *lætitiæ* de Reſurrectione Chriſti: Alſo heilig iſt der Tag ꝛc. ſuccinit.

Deinde fit ſtatio in medio Eccleſiæ, ubi dicitur:

Verſ. Surrexit Dominus de ſepulchro. Alleluja.
Reſp. Qui pro nobis pependit in ligno. Alleluja.

Oremus.

Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut, qui Reſurrectionis Dominicæ ſolemnia colimus: ereptionis noſtræ lætitiam percipere mereamur. Per eundem Dominum noſtrum &c.

Poſt proceſſionem Chorus cantat antiphonam, Chriſtus reſurgens ex mortuis, jam non moritur: mors illi ultra non dominabitur: quod enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel: quod autem vivit, vivit Deo, alleluja, alleluja.

Hic Ordo Proceſſionis ſervatur omnibus Dominicis diebus uſque ad feſtum Aſcenſionis Domini.

IN

IN FESTO SANCTI MARCI EVANGELISTÆ.

De Litaniarum Majorum & Minorum inſtitutione & Cauſis.

Occurrunt hoc tempore Paſchali Litaniæ, ſeu deprecationes majores & minores; majores ſunt in Feſto S. Marci, etiamſi Feſtum cum ejuſdem Miſſa contingat transferri, niſi incidant in diem Paſchatis, tunc enim transferuntur in Feriam tertiam ſequentem ex Decreto S Congregationis Rituum, 25. Septemb. milleſimo, ſexcenteſimo vigeſimo ſeptimo anno. Dicuntur autem majores Litaniæ ad differentiam minorum, de quibus mox dicetur, quas inſtituit S. Gregorius Papa, non ſimpliciter, ſed ad Ædem ſancti Petri; teſte Baronio in Martyrologio, die 25. April quæ etiam ante ſanctum Gregorium erant annuæ, ut ipſe teſtatur: Initio Epiſtolarum lib. 2. vocans eas annuas & majores. Septiformes enim Litanias inſtituerat Divus Gregorius ad certas Eccleſias, diſtribuens Proceſſionem in ſeptem ordines, hoc eſt Clericorum, Religioſorum, Monialium, puerorum, adoleſcentum, viduarum & continentium, ac conjugatorum: idque, ut ait ordo Romanus, propter imminentem cœleſtis iræ mucronem, hoc eſt, peſtem ingvinariam, qua obibant multi, etiam oſcitando & ſternutando morte repentina. Unde & oſcitantes digito ſuper os formabant ſignum Crucis, & ſternutantibus dicebatur: Deus te juvet, qui mores ad nos uſque devenerunt.


Minores autem Litaniæ, id eſt Rogationes, ſeu deprecationes, fiunt triduo ante Aſcenſionem Domini, quæ celebrari jubentur. c. Rogationes de conſ. diſ. 3. Meminit earum D. Auguſtinus ſerm. 173. de tempore vocans eas, dies compunctionis & pœnitentiæ. Unde conſtat eas antiquiores eſſe majoribus Litaniis a S. Gregorio inſtitutis. Dicuntur autem hæ minores inſtitutæ a S. Mamerto Viennenſi Epiſcopo in Gal-


liis, ob incurſionem luporum damna graviſſima populis afferentium: quæ ideo appellatæ ſunt minores, quia a minori Epiſcopo & in minori loco inſtitutæ reſpectu S. Gregorii & Urbis Romæ. Fiunt autem prædictæ Litaniæ ad peccata purganda, pacem impetrandam, peſtilentiam avertendam, conſervationem fruguum tunc e terra prodeuntium, & cæteras neceſſitates; quibus diebus fideles abſtinentiam ſervare, & lacticiniis ſemel in die olim veſci debebant.

Moneant ergo Parochi populum, ut prædictos fructus ſpirituales & temporales conſequendos, his Proceſſionibus devote intereſſe ſtudeat.

ORDO
Litaniarum Majorum, & Proceſſionis die S. Marci.

Finita majori Miſſa, vel tempore, quod commodius videbitur, Sacerdos officians ſuper albam & ſtolam pluvialis violaceo, vel ſimili indutus, tenens reliquias, vel crucem, ſi reliquiæ non habentur, cum duobus miniſtris, ſicut ad Miſſam miniſtrare ſolent, ante majus altare genuflexus inchoat in cantu ſequentem Antiphonam:





pa-tres no-stri an-nun ti-a-verunt no-bis. ℣. Glo-ri-a

Postea repetitur Antiphona ad Psalmum, ut prius.

Vers. Peccavimus, Domine, cum patribus nostris.

Resp. Injuste egimus, iniquitatem fecimus.

Oremus.

Flectamus genua.

Miserere quæsumus Domine, Familiæ tuæ, & intercedentibus omnibus sanctis tuis, munera compunctionis aperi, largitate pietatis exaudi, Levate. Per Christum Dominum nostrum.

Deinde Chorus incipit Litanias de Sanctis, genuflexis omnibus, usque ad locum **Sancta Maria.** tunc enim surgunt omnes, & procedunt ordine Processionis consueto, præcedentibus vexillis, imagine Resurrectionis & cruce processionali, subsequente choro, clero, Sacerdote officiante, & denique populo. Processiones autem diriguntur ad Ecclesias, seu loca, secundum locorum consuetudinem, ingressis in Ecclesiam, vel oratorium, intermissisque litaniis canitur Responsorium, vel Antiphona, quæ ex Officio Romano maxime quadrat Patrono, vel Patronis ejusdem Ecclesiæ. Si autem fuerint ex Apostolis, Evangelistis, vel Martyribus, tempore Paschali, cantetur Antiphona: **Filiæ Jerusalem, venite &c.**

Congruum autem esset, ut tunc in eadem Ecclesia ordinaretur Missa, cui Processio tota interesset, ad minus per Canonem majorem, si tempus patitur. Finito cantu officians depo-

depoſitis reliquiis vel cruce ſuper altare, ante illud inter miniſtros genuflectat, ſimiliter & reliqui; & per Chorum decantentur Suffragia ſequentia, vel aliqua eorum, pro ratione & temporis opportunitate.

ANTIPHONÆ SUFFRAGIORUM COMMUNIUM, cum ſuis Verſibus & Collectis.

Da Pacem &c. Contere &c. Domine Rex &c.

℣. Fiat pax in virtute tua, Alleluja.

℣. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam, Alleluja.

℣. Dominus dabit { benignitatem / ferenitatem / pluviam } Alleluja.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℣. Dominus vobiſcum.

Oremus.

Deus, a quo ſancta deſideria, recta conſilia & juſta ſunt opera: da ſervis tuis illam, quam mundus dare non poteſt, pacem; ut, & corda noſtra mandatis tuis dedita, & hoſtium ſublata formidine tempora ſint tua protectione tranquilla.

Eccleſiæ tuæ quæſumus Domine, preces placatus admitte: ut deſtructis adverſitatibus, & erroribus univerſis, ſecura tibi ſerviat libertate.

Omni-

Omnipotens ſempiterne Deus, qui ſalvas omnes, & neminem vis perire: reſpice ad animas diabolica fraude deceptas; ut omni hæretica pravitate depoſita, errantium corda reſipiſcant, & ad veritatis tuæ redeant unitatem.

Ad te nos Domine clamantes exaudi: & aeris benignitatem (vel ſerenitatem) nobis tribue ſupplicantibus; ut qui juſte pro peccatis noſtris affligimur, miſericordia tua præveniente, clementiam ſentiamus. Per Dominum noſtrum &c.

Verſ. Dominus vobiſcum
Reſp. Et cum Spiritu tuo.
Verſ. Exaudiat nos omnipotens & miſericors Dominus.
Reſp. Amen.

Et fidelium animæ per miſericordiam Dei requieſcant in pace. Reſp. Amen.

Oratio pro pluvia.

Deus, in quo vivimus, movemur & ſumus: pluviam nobis tribue congruentem; ut præſentibus auxiliis ſufficienter adjuti, ſempiterna fiducialius appetamus. Per Dominum noſtrum &c.

Si in defectu Eccleſiarum Proceſſionem oporteret dirigi extra vicum, vel pagum, ad imaginem Crucifixi; curet inprimis Parochus, ut tales imagines ſint integræ, honeſtæ, & benedictæ. Ad quas primo debet præcedere Antiphona cum ſuo verſu, & Collectis de ſancta Cruce: deinde reliquæ, ſecundum neceſſitatem, vel opportunitatem.

Cum receditur ab Eccleſia, vel loco ſtationis, reſumuntur Litaniæ, ubi ante deſierant, in eodem tono. Et repetantur, donec ad aliam ſtationem, vel propriam Eccleſiam redeatur. Vel ſi placet, ſub ſimili tono cantentur Litaniæ de Nomine JEſu, vel beata Virgine, non vero aliæ quæcunque a Congregatione ſacrorum Rituum non approbatæ, de qua re extat ſequens decretum:

Sanctiſſimus Dominus Noſter Clemens Papa VIII.

—— Præcipit & mandat, ut, retentis antiquiſſimis, & communibus Litaniis, quæ in *Breviariis, Miſſalibus*, Pontificialibus, ac Ritualibus continentur, nec non Litaniis de Beata Virgine, quæ in ſacra Ædе Lauretana decantari ſolent, quicunque alias Litanias edere, vel jam editis in *Eccleſiis*, ſive Oratoriis, ſive Proceſſionibus uti voluerint, eas ad Congregationem ſacrorum Rituum recognoſcendas, & ſi opus fuerit, corrigendas mittere teneantur; neque ſine licentia & approbatione prædictæ Congregationis eas in publicum edere, aut publice recitare præſumant. Sub pœnis (ultra peccatum) arbitrio Ordinarii, & inquiſitoris ſevere infligendis: Romæ in monte Quirinali. VIII. Idus Septembris anno 1601.

In reditu & ingreſſu ad propriam Eccleſiam canendum eſt Reſponſorium, vel Antiphona, cum verſu & collecta de proprio Patrono ejuſdem Eccleſiæ.

Deinde dicitur Pater noſter, & reliqua ut ſupra poſt Litanias omnium Sanctorum pag. 91.

DE LITANIIS MINORIBUS diebus Rogationum.

Tribus diebus immediatis ante Feſtum Aſcenſionis Domini fiunt ſimiles Proceſſiones, & Litaniæ, ut ſupra

ſupra in feſto S. Marci, niſi quod ultima die, hoc eſt: Feria quarta in ultimo regreſſu ad propriam Eccleſiam, ubi eſt conſuetudo, debent decantari ſequentia: Victimæ Paſchali. interſerendo verſibus patrium Canticum: Chriſt iſt erſtanden ꝛc. vel polonice: Chryſtus zmartwych wſtal &c. Quæ proceſſio & Litaniæ non debent omitti, quamvis in aliquam eorum dierum inciderit Feſtum celebre. Tempore autem pluvioſo poteſt in Eccleſia abſolvi.

IN FESTO
ASCENSIONIS DOMINI.

In die Aſcenſionis Domini Proceſſio peragatur hoc modo: Incipit Chorus abſolute Antiphonam: Cum Rex gloriæ Chriſtus, vel Ite in orbem &c. & egreditur Proceſſio in Cœmeterium præcedentibus vexillis, ſtatua Reſurrectionis, Cruce proceſſionali & Cæroferariis, cantaturque Hymnus: Salve feſta dies, toto venerabilis ævo, qua Deus in cœlos ſcandit, & aſtra tenet. Ecce renaſcentis &c. Namque Triumphanti &c. Legibus inferni &c. Qui crucifixus erat &c. ut ſupra P II. pag. 139. Dum prædicti verſus canuntur tota Proceſſio ſubſiſtit. Poſt quemlibet autem Verſum progrediente Proceſſione populus vulgarem cantum lætitiæ: Alſo heilig iſt der Tag ꝛc. ſuccinit.

Redeundo ad Eccleſiam in ejus medio dicitur:

Verſ. Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum. Alleluja.

Reſp. Deum meum, & Deum veſtrum. Alleluja.

Oremus.

Da quæſumus omnipotens Deus illuc ſubſequi tuorum membra fidelium: quo caput noſtrum principiumque præceſſit JEſus Chriſtus Filius tuus. Qui tecum vivit & regnat in unitate &c.

Repræſentatio autem Aſcenſionis Domini per receptionem imaginis ejuſdem ad ſuperiora penitus eſt abolenda: præſertim, ſi poſt illam imago cacodæmonis dejiciatur, & alia ſuperſtitioſa fiant cum ſcandalo, & tumultu.

DE VIGILIA PENTECOSTES.

Sicut totum Officium & Miſſa, ſic aliæ etiam cæremoniæ ejuſdem diei ex Miſſali Romano ſunt deſumendæ.

IN DIE SANCTO PENTECOSTES.

Ad aſperſionem canitur Reſponſorium: Vidi aquam: cum verſu & oratione, ut in hac parte dictum eſt, pag. 106 & 107.

Deinde ad Proceſſionem canitur Reſponſorium: Cum Rex gloriæ Chriſtus, vel Apparuerunt Apoſtolis diſpertitæ linguæ &c. & eo finito Hymnus: Salve feſta dies, toto venerabilis ævo, qua Deus emiſit Flamen,

men, & aſtra tenet. Ecce renaſcentis &c. ut ſupra pag. 139. Populus progrediendo poſt quemlibet Hymni verſiculum ſubjungit cantum vulgarem lætitiæ tempori convenientem.

Deinde fit ſtatio in medio Eccleſiæ, ubi Officians, incipit hos verſus Hymni:

Veni Creator Spiritus. Chorus proſequitur. Mentes tuorum viſita, imple ſuperna gratia, quæ tu creaſti pectora.

Sac. Hoſtem repellas longius. Chorus. Pacemque dones protinus, Ductore ſic te prævio, Vitemus omne noxium.

Sac. Per te ſciamus da Patrem. Chorus. Noſcamus atque Filium: teque utriuſque Spiritum, credamus omni tempore.

Verſ. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, Alleluja.

Reſp. Et renovabis faciem terræ, Alleluja.

Oremus.

Præſta quæſumus, omnipotens & miſericors Deus, ut ſanctus Spiritus adveniens, templum nos gloriæ ſuæ, dignanter inhabitando perficiat. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Ad finem proceſſionis canitur Antiphona:

Accipe Spiritum ſanctum.

Chorus. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, Alleluja.

IN FESTO SS. TRINITATIS.

Hac die, & ſequentibus Dominicis, per annum peragatur aſperſio, Proceſſio, cum ſuis Reſponſoriis, ut ſupra de Proceſſionibus in diebus Dominicis dictum eſt.

IN SOLEMNITATE. CORPORIS CHRISTI.

Corporis Domini ſolemnitas, ſiquidem die Cœnæ Domini, propter lugubre tempus Paſſionis *Dominicæ*, & alias continuatas feſtivitates, celebrari, ut par eſt, non poterat; Eccleſia huic rei aſſignavit commodiſſime Feriam quintam poſt Feſtum SS. Trinitatis; *cum ſeptem aliis continuis diebus.* Per quod tempus Paſtores adhortentur populum, tam doctrina, quam exemplo ad ardentem & continuum tanto Sacramento honorem præſtandum, admonente idipſum Eccleſia, dum ſic canit: Quantum potes, tantum aude: quia major omni laude, nec laudare ſufficis. Proferant ergo tanquam boni patresfamilias ex theſauris ſcientiæ, & prudentiæ ſuæ nova reformatorum adorandi rituum multis locis Provinciæ jam explorata: nec minus retineant vetera patriarum conſuetudinum, modo talia ſint, ne contumeliam potius, quam honorem inferant Chriſto in Sacramento præſenti. Admoneatur populus de quotidianis per Octavam *Indulgentiis*, quas conſequuntur, qui interſunt *horis* Canonicis in Eccleſia, vel ubi eæ non decantantur, Miſſæ, Veſperis & Proceſſionibus, quæ circa illam quotidie fiunt.

Pridie igitur ejusdem feſti in Miſſa conſecrandæ ſunt duæ majores hoſtiæ, quarum una ſumpta, altera in Tabernaculo Altaris deponatur. Eadem die etiam ornatur templum; maxime vero altare majus, & in eo tabernaculum, ſuper quo SS. Euchariſtia exponi debet.

Si

Si Sanctiſſimum alibi, quam in majori altari aſſervatur, tum ante Veſperas defertur ad altare majus per Sacerdotem ſuperpelliceo & ſtola albi coloris indutum præcedentibus miniſtris cum facibus, ſeu luminaribus accenſis, & campanula tinniente, ac prævia facta incenſatione ſuper tabernaculo ad locum eminentiorem in oſtenſorio, ſeu monſtrantia publicæ adora tinoni exponitur, manetque expoſitum uſque ad finem omnium divinorum officiorum illius diei.

Poſtea officians inchoaturus Veſperas procedit cum miniſtris ad altare, & præmiſſa ante infimum gradum in plano genuflectione, ac ſuper primum gradum brevi adoratione ſurgit, & vadit ad ſedem a latere Epiſtolæ paratam, aut, ubi hæc non eſſe ſolet, ſtans in plano ante Altare intonat Verſ. **Deus in adjutorium &c.** ſub Veſperis ſedere poteſt, ubi eſt conſuetudo, detecto tamen capite. & ad **Magnificat** aſcendit & oſculatur Altare impoſitoque ante medium altaris incenſo cum benedictione conſueta, quia altare ſimul incenſatur, deſcendit, & genuflexus in ſupremo altaris gradu thurificat ſanctiſſimum triplici ductu, deinde altare more ſolito. Dum autem ipſe incenſatur, ſtat extra altare in parte epiſtolæ terga poſt altare vertens.

Poſt officium Veſperarum, vel etiam Matutini, ubi pridie in craſtinum habetur officians ad infimum altaris gradum in plano terræ ex parte Epiſtolæ ſtans, imponit incenſum abſque benedictione, & thurificat ſanctiſſimum in loco ſuo, quod poſt thurificationem ex tabernaculo deponitur ſuper altare ſubſtrato Corporali mundo. Interim dum incenſatur ſanctiſſimum, a Choro vel Muſicis canitur Verſ. **Tantum ergo Sacramentum &c.** ac ſub **Genitori Genitoque &c.** officians accepto prius velo albo oblongo circa utrumque humerum, aſcendit ad altare, & velo cooperta utraque manu capit Monſtrantiam cum ſanctiſſimo, ac dum plane canitur: ſit, & benedictio. Dat populo benedictionem faciendo ſemel cum

Mon-

Monſtrantia crucem nihil dicendo, & gyrum perficiendo, tum reponit ſanctiſſimum ſuper altare absque ulteriori incenſatione, & deſcendit ad ſupremum altaris gradum, ibique manet genuflexus uſque dum a Choro finiatur cantus:

JEſus Chriſtus noſtra ſalus,
Quod reclamat omnis malus,
Nobis in ſui memoriam,
Dedit in panis hoſtiam.

O quam ſanctus panis iſte,
Tu ſolus es JEſu Chriſte,
Qui in cruce pependiſti,
Et in carnem te feciſti.

Non eſt panis, ſed eſt DEus
Homo liberator meus,
Panis vivus Angelorum,
Factus cibus viatorum.

Ave verbum incarnatum,
In altari conſecratum,
O vera digna Hoſtia,
Per quam fracta ſunt tartara.

Aut alia conveniens Antiphona, qua finita ſanctiſſimum reponitur ad Tabernaculum, & clauditur uſque in ſequentem diem, & diſcedit Officians cum miniſtris in ſacriſtiam, interea poſt abſolutum Cantum prædictum incipit Rector, vel Cantor germanicam Cantilenam: **Freut euch ihr lieben Seelen ꝛc.** populo usque ad finem proſequente. Hoc modo ſingulis diebus per totam Octavam finitis omnibus divinis Officiis conſuetis datur benedictio.

DE

DE PROCESSIONE SOLEMNIORI EJUSDEM FESTI.

Ipſo die Feſto Corporis Chriſti mane rurſus exponitur ſanctiſſimum eodem modo, ut heri ante veſperas.

Deinde hora conſueta fit Miſſa ſolemnis, & ea peracta ordinatur Proceſſio, ad quam omnes omnium Eccleſiarum Clerici tam ſæculares, quam regulares abſolutis tempeſtivè Divinis ſuis conveniant, Regulares quidem habitu ordinis quique ſui, ſæculares vero in Ordinibus minoribus conſtituti ſuperpelliceis, ſubdiaconi & Diaconi Dalmaticis, Presbyteri Caſulis, Canonici & Prælati pluvialibus pretioſioribus induti, habentesque ſinguli in manibus, quos in proceſſione accendant, Cereos. Non minus Confraternitates fæcularium, & ubi conſuetudo eſt, ſocietates Opificum cum Vexillis ſuis, & Cereis tempore aſſignato adſint.

Proceſſio autem cum maxima, quæ adhiberi poteſt, ſolemnitate, & fidelium applauſu, adverſariorum vero confuſione progrediatur ad forum, vel nobiliorem Civitatum, vicorum, aut pagorum partem, prævie autem plateæ, quas tranſitura eſt proceſſio mundentur, & obſtacula, aliaque indecentia amoveantur viæ etiam arboribus, frondibus, floribus & gramine, aut plane aulæis, & imaginibus ad devotionem facientibus pro unius cujusque loci conſuetudine exornentur, ac locis aptioribus, debitæque ad invicem diſtantiæ inſtruantur, quatuor Menſæ inſtar altarium imaginibus ſacris & honeſtis, tapetibus, mappis, ſeu tobaleis mundis, nec non candelabris cum candelis accenſis hinc inde in utroque latere proviſis & ornatis.

Proceſſione itaque ordinata, officians deponit Caſulam, Miniſtri vero Manipulos, & accipit pluviale albi coloris, impoſitoque incenſo absque benedictione thurificat Sanctiſſimum modo, quo ſupra dictum eſt, deinde ſanctiſſimum ex loco

loco ſub eminentiori deponitur ſuper altare corporali mundo ſubſtrato, quod accipiens Diaconus ſtans porrigit officianti genuflexo velo ut ſupra circumdato, mox ſurgit officians, aſcendit ante altare, & vertit ſe cum ſanctiſſimo verſus populum, inchoaturque vel ab ipſo, vel a cantoribus Reſponſorium:



Choro reliqua uſque ad finem proſequente, inchoato autem Reſponſorio officians deſcendit ſub umbellam ſeu baldachinum comitantibus miniſtris ex utraque parte, & extremitates pluvialis tenentibus, quos præcedunt duo thuriferarii cum thuribulis continuo fumigantibus, thuriferarios antecedunt Prælati, Canonici, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi & Clerici ut ſupra induti, elevata cruce proceſſionali inter duos acolythos, crucem præcedunt Cantores & Muſici, iſtos cum ſuis crucibus Regulares. Regulares autem confraternitates ſæcularium, ſocietates opificum & pueri ſcholares, quibus omnibus præferuntur vexilla primariæ Eccleſiæ, officiantem ſequuntur Magiſtratus, cives, plebeji, omnes detectis capitibus, precibus, vel cantui ad ædificationem maxime acatholicorum intenti omiſſo riſu, colloquio, vagoque oculorum aſpectu, vel quavis alia diſſolutione & irreverentia, in quibus prævie a parochis & aliis Verbi Dei præconibus ſunt admonendi.

Pro umbella ſeu baldachino, & facibus circa illam deportandis adhibeantur viri aliquot principaliores de communitate convenienter veſtiti, graves & modeſti.

Proceſſione ex Eccleſia egrediente, & rurſus ad illam revertente omnes ejus campanæ pulſentur, reliquarum autem Eccleſiarum tunc, cum per vicina illis loca proceſſio tranſibit:

Si ulterior reſtat progreſſus, cantentur juxta pſalterium Romanum ſequentes hymni. Pange lingua, Sacris ſolemniis. Verbum ſupernum prodiens. Salutis humanæ ſator. Æterne Rex Altiſſime.

Ubi ad primam ſtationem perventum fuerit, ſubdiaconus ſternit ſuper menſam altaris corporale, quod propterea ſecumfert, Diaconus genuflexus a ſtante officiante accipit monſtrantiam cum ſanctiſſimo, & reverenter collocat ſuper corporale, officians autem depoſito velo ab humeris, factaque genuflexione ſurgit, & imponit miniſtrante Diacono incenſum ſine benedictione, ac trino ductu thurificat Sanctiſſimum.

Interim a Choro canitur Reſponſorium huic ſolemnitati congruum. Deinde Diaconus accepta benedictione conſueta, cantat eodem ritu cum incenſatione libri, ut in Miſſa, Evangelium ſequens:

IN PRIMA STATIONE.

Evangelium.

Verſ. Dominus vobiſcum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.
Verſ. Initium ſancti Evangelii ſecundum Matthæum.
Reſp. Gloria tibi Domine.

Liber generationis JEſu Chriſti Filii David, Filii Abraham: Abraham genuit Iſaac: Iſaac autem genuit Jacob: Jacob autem genuit Judam & fratres ejus: Judas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar. Phares autem genuit Eſron: Eſron autem genuit Aram: Aram autem genuit Aminadab: Aminadab autem genuit Naaſon: Naaſon autem genuit

Salmon: Salmon autem genuit Booz de Raab: Booz autem genuit Obeth ex Ruth: Obeth autem genuit Jeſſe: Jeſſe autem genuit David Regem: David autem Rex genuit Salomonem, ex ea quæ fuit Uriæ. Salomon autem genuit Roboam: Roboam autem genuit Abiam: Abias autem genuit Aſa: Aſa autem genuit Joſaphat: Joſaphat autem genuit Joram: Joram autem genuit Oziam: Ozias autem genuit Joathan: Joathan autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam. Ezechias autem genuit Manaſſen. Manaſſes autem genuit Amon. Amon autem genuit Joſiam. Joſias autem genuit Jechoniam & fratres ejus in transmigratione Babylonis. Et poſt transmigrationem Babylonis; Jechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliacim. Eliacim autem genuit Azor. Azor autem genuit Sadoc: Sadoc autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan: Mathan autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Joſeph virum Mariæ, de qua natus eſt JESUS, qui vocatur Chriſtus.

Quo finito, officians oſculato libro, incenſatur a Diacono. Mox impoſito novo incenſo, ut ſupra, thurificat ſanctiſſimum Sacramentum, illudque reſumpto velo reverenter accipit genuflexus a Diacono ſtante, ac ſurgens, & converſus ad populum dicit in ſolito tono.

Verſ.

Verſ. A fulgure & tempeſtate, & omni malo.
Reſp. Libera nos Domine.
Verſ. A peſte fame, & bello.
Reſp. A ſubitanea & improviſa morte.
Verſ. Domine exaudi orationem meam.
Reſp. Et clamor meus ad te veniat.
Verſ. Dominus vebiſcum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

A domo tua, quæſumus Domine, ſpiritales nequitiæ repellantur, & aerearum diſcedat malignitas tempeſtatum. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Cœleſti benedictione benedicatur, cuſtodiatur, & conſervetur locus iſte, & in eo habitantes; agri quoque, & terræ fructus. In nomine Pa✠tris, & Filii, & Spiritus ſancti. Reſp. Amen.

Et hi verſus cum Oratione & benedictione, in qua a Sacerdote una tantum crux formatur, dicuntur ad omnes Stationes. Deinde officians inchoat Hymnum:



Reliqua proſequitur Chorus, & fit progreſſus ad alteram Stationem. In qua, & reliquis Stationibus fiunt, & obſervantur omnia, ut in prima, præter ea, quæ hic notantur.

IN SECUNDA STATIONE.

Evangelium.

Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.
Verſ. Initium ſancti Evangelii ſecundum Marcum.
Reſp. Gloria tibi Domine.

Initium Evangelii JEſu Chriſti Filii Dei, ſicut ſcriptum eſt in Iſaia Propheta: Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deſerto: Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus. Fuit Joannes in deſerto baptizans, & prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. Et egrediebatur ad eum omnis Judææ regio, & Jeroſolymitæ univerſi: & baptizabantur ab illo in Jordanis flumine, confitentes peccata ſua. Et erat Joannes veſtitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos ejus: & locuſtas & mel ſylveſtre edebat. Et prædicabat dicens: Veniet fortior me poſt me, cujus non ſum dignus procumbens ſolvere corrigiam calceamentorum ejus. Ego baptizavi vos aqua, ille vero baptizabit vos Spiritu ſancto.

Ad abitum Officians intonat Verſum.



Tantum er-go Sa-cra-men-tum.

IN

IN TERTIA STATIONE
Evangelium.


Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.
Verſ. Initium ſancti Evangelii ſecundum Lucam.
Reſp. Gloria tibi Domine.

Fuit in diebus Herodis regis Judææ ſacerdos quidam nomine Zacharias de vice Abia: & uxor illius de filiabus Aaron, & nomen illius Eliſabeth. Erant autem juſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & juſtificationibus Domini ſine querela, & non erat illis filius, eo quod Eliſabeth eſſet ſterilis, & ambo proceſſiſſent in diebus ſuis. Factum eſt autem cum Sacerdotio fungeretur Zacharias, in ordine vicis ſuæ ante Deum, ſecundum conſuetudinem Sacerdotii: ſorte exiit, ut incenſum poneret, ingreſſus in templum Domini. Et omnis multitudo populi erat orans foris hora incenſi. Apparuit autem illi Angelus Domini, ſtans a dextris Altaris incenſi, & Zacharias turbatus eſt videns, & timor irruit ſuper eum. Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita eſt deprecatio tua: Et uxor tua Eliſabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Joannem. Et erit tibi gaudium, & exaltatio, & multi in nativitate ejus gaudebunt. Erit enim magnus coram Domino: vinum & ſiceram non bibet. Et Spiritu ſancto replebitur adhuc ex utero Matris ſuæ, & multos filiorum

Iſrael

Iſrael convertet ad Dominum Deum ipſorum. Et ipſe præcedet ante illum in Spiritu, & virtute Eliæ: ut convertat corda Patrum in filios, & incredulos ad prudentiam juſtorum, parare Domino plebem perfectam.

Ad abitum Officians intonat verſum.



Ge - ni - to - ri Ge - ni - to - que.

IN QUARTA STATIONE.

Evangelium.


Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.
Verſ. Initium S. Evangelii ſecundum Joannem.
Reſp. Gloria tibi Domine.

In principio erat Verbum: & Verbum erat apud Deum: & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt: & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt; in ipſo vita erat: & vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo miſſus a Deo, cui nomen erat Joannes: Hic venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, ſed ut teſtimonium perhiberet de lumine. E-

rat

rat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt: & mundus eum non cognovit. In propria venit, & ſui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus. Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri: ſed ex Deo nati ſunt. Et verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis (& vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti a Patre) plenum gratiæ & veritatis.

Ad abitum de ultima Statione Officians inchoat Hymnum.



Te De - um lau - da - mus.

Quem proſequitur Chorus usque ad finem.

In reditu & regreſſu ad propriam Eccleſiam reponitur in Altari Venerabile Sacramentum, & impoſito absque benedictione incenſo ad thuribulum, ut ſupra, incenſatur omnibus genuflexis.

Interim a Muſicis, vel choro canitur Verſ. Tantum ergo Sacramentum &c. usque ad finem Deinde miniſtri, vel duo Diſcantiſtæ in choro dicunt in tono convenienti.

Verſ. Panem de cœlo præſtitiſti eis. Alleluja.
Reſp. Omne delectamentum in ſe habentum. Alleluja.

Oremus.

Deus, qui nobis ſub Sacramento mirabili, Paſſionis tuæ memoriam reliquiſti: tribue quæſumus, ita nos corporis & ſanguinis tui ſacra myſteria venerari; ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter ſentiamus. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Reſp. Amen.

Deinde aſſumpto velo Officians aſcendit altare, accipit ambabus manibus velo *tectis Monſtrantiam cum Sanctiſſimo*, & ſub tinnitu campanularum tubisque, & timpanis reſonantibus dat benedictionem nihil cantando, aut dicendo, & ultimo circulum perficiendo.

Tandem reponitur ſanctiſſimum in loco ſuo eminenti, ut antea, adorandum ſine ulteriori incenſatione, & ubi plures ſunt Clerici, aut miniſtri, manent ſucceſſive per horas ſibi diſtributas coram Sanctiſſimo orantes, aut pſallentes, donec iterum inchoentur divina officia, ubi vero deeſt numerus Clericorum, & Sanctiſſimum ſolum relinquendum eſt, tunc ante diſceſſum eſt velandum, aut tabernaculo includendum, usque ad inchoanda Officia divina conſueta.

Poſtremo finita, & reducta ad eandem Eccleſiam Proceſſione, omnes tam Clerici, quam Laici, eodem ordine, quo venerant, revertantur ad ſuas Eccleſias, quæ, & ipſæ pariter, ubi id fieri commode poteſt, præter Proceſſiones, quotidie circa Eccleſiam obiri conſuetas, unam ſolemniorem cæteris, Dominica infra Octavam, & in ipſa Octava, per adjacentes ſibi vicos, cum populo ſuo inſtituant.

Denique in pagis vel Oppidis, ubi una tantum eſt Eccleſia, per nobiliorem, atque planiorem earum partem, (non tamen

tamen per campos, aut agros) quam decentiſſime juxta ſupra ſcripta, hæc eadem Proceſſio fiat.

IN DIE OCTAVA SANCTISSIMI CORPORIS CHRISTI.

Poſt Veſperas, & completorium concluditur feſtivitas cum Proceſſione, ad quam ſe parat officians cum Miniſtris, ut ſupra præſcriptum eſt.

Deinde facta ante altare in plano genuflexione retrahit ſe officians ad partem Epiſtolæ ante gradus altaris ibique ſtans, imponit incenſum ſine benedictione, ac genuflexus in ſuperiori altaris gradu ter thurificat Sanctiſſimum in loco ſuo, quod mox Diaconus reverenter deponit ſuper altare ſubſtrato prius corporali mundo, & illud ſtans tradit officianti genuflexo, qui accepto circa humeros velo albo oblongo tenens monſtrantiam ſurgit, & accedit ante medium altaris, ubi ſe vertit cum Sanctiſſimo verſus populum, & mox Cantores incipiunt Hymnum: **Pange lingua &c.**

Sub Hymno fit Proceſſio circa Eccleſiam ſine ulla ſtatione & finitur, ut ipſo die feſti, cum Verſ. Reſp. Collecta, & benedictione, poſtquam canitur Hymnus: **JEſus Chriſtus noſtra ſalus &c.** deponiturque Sanctiſſimum ex Monſtrantia in Ciborium, & clauditur in Tabernaculo, Officians autem diſcedit cum Miniſtris ad ſacriſtiam, & finito Hymno prædicto canitur a populo cantilena: **Freut euch ihr lieben Seelen ꝛc.**

Præmiſſa etiam ſunt obſervanda, ſi hæc proceſſio finalis fiat mane poſt Miſſam cantatam, aut pro locorum conſuetudine, ſervari poſſunt ea, quæ in ipſo die feſti præſcripta ſunt, præterquam, quod hæc proceſſio octavæ non ſit tam ſolemnis, neque per plateas & forum, ſed ſolummodo circa Eccleſiam inſtituatur.

DE RITU
SERVANDO IN ORATIONE PUBLICA, & ſolemni indicta pro re gravi coram
SS^mo SACRAMENTO
quæ dicitur Quadraginta horarum.

Prævie juxta præceptum Clementis VIII. admoneatur populus, ut frequens conveniat ad hanc celebritatem & devotionem. Altare ornetur, ut in Feſto Sanctiſſimi Corporis Chriſti, cum luminaribus ſaltem ſex. Antipendium ſit album quocunque feſto incidente etiam primæ Claſſis.

Summo mane hora competente exponitur Sanctiſſimum Sacramentum eodem ritu, uti notatum eſt ad primas Veſperas Sanctiſſimi Corporis Chriſti; vel ſi initio Orationis celebratur Miſſa ſolemnis, conſecrantur duæ hoſtiæ majores, quarum una tantum elevatur in Miſſa, & altera relinquitur ſuper Corporale, Poſt ſumptionem pretioſi ſanguinis celebrans facta genuflexione imponit ſacram Hoſtiam in Monſtrantia, & in medio Corporalis reverenter collocat, ac velo albo cooperit, abſolvitque Miſſam ſervatis genuflexionibus, ut coram Sanctiſſimo expoſito moris eſt. Finita Miſſa extra Altare ad cornu Epiſtolæ depoſita Caſula & manipulo, capit Pluviale album, & accedit ante gradus Altaris, Diaconus vero, vel in defectu miniſtrorum Ipſe celebrans aſcendit, & diſcooperit Oſtenſorium ſeu Monſtrantiam, deinde imponit facta genuflectione incenſum, ac thurificat Sanctiſſimum ter genuflexus in ſuperiori gradu Altaris. Quo facto ponitur ſanctiſſimum Sacramentum ad locum ſuper Tabernaculum eminentem adorandum, uti ſupra dictum in feſto Sanctiſſimi Corporis Chriſti, & ea ſimiliter obſervantur tempore expoſiti Sanctiſſimi, quæ ibidem notata ſunt. In Altari, ubi expoſitum eſt Sanctiſſimum non fiant regulariter Miſſæ privatæ, niſi ſola Miſſa ſolemnis. Poſt Veſperas aut Completorium fiunt

Litaniæ de omnibus Sanctis aut de Sanctiſſimo Sacramento, vel Nomine JEſu, circa finem earum officians ſtola ſuper cottam, & pluviali albo indutus cum Miniſtris, ſi haberi poſſint, ſuperpelliceis indutis de Sacriſtia procedit antecedente thuriferario, & genuflectens in gradu Altaris expectat finem Litaniarum, finitis illis dicit alta voce: **Pater noſter,** ſecreto, **& ne nos inducas in tentationem.** Deinde a Choro cantatur conveniens Pſalmus ſupplicationi, & orationi correſpondens. Finito Pſalmo dicit Officians verſiculos, & Orationes prout neceſſitas poſtulat, ut infra de Proceſſionibus, & precibus extraordinariis notatur.

Dictis Orationibus cantatur a Choro vel ludirectore: **O Sacrum convivium!** in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria Paſſionis ejus, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur, Alleluja.

Deinde Officians, vel, ſi adſunt Clerici aſſiſtentes dicunt: Verſ. **Panem de cœlo &c.**

Sequitur Oratio.

Deus, qui nobis ſub Sacramento mirabili &c. ut ſupra, pag. 162.

His abſolutis a Choro cantatur Verſ. **Tantum ergo &c.** interim Officians ſurgit, imponit incenſum, ac de more thurificat ſanctiſſimum Sacramentum ſumptoque velo ad Verſ. **Genitori Genitoque &c.** aſcendit altare, & dum canitur: **Sit & Benedictio,** dat cum Sanctiſſimo benedictionem in forma crucis ſemel nihil dicens, & circulum perficiens eodem modo, quo ſupra dictum eſt in Feſto ſanctiſſimi Corporis Chriſti.

Data Benedictione recluditur Sanctiſſimum, & cantatur a populo: **Freut euch ihr lieben Seelen ꝛc.**

Et quia per triduum durant ejusmodi ſupplicationes 40. horarum, ſingulis illis diebus hoc modo finiuntur, & concluduntur, ac quotidie, etiamſi ſit dies Dominica, vel feſtum duplex fieri debet Miſſa ſolemnis de Sanctiſſimo, niſi incidat

dat Feſtum primæ, aut ſecundæ Claſſis; Tunc enim fit Miſſa de feſto cum Collecta de Sanctiſſimo ſub una Concluſione in paramentis coloris feſto convenientis, manente colore albo Altaris, ſeu Antipendii ex Decreto Sanctiſſimi Papæ Clementis XI.

Neque illis diebus celebratur Miſſa privata de Requiem, vel alia Votiva, niſi de Sanctiſſimo, vel Feſto primæ aut ſecundæ Claſſis, ex eodem Decreto.

Quod ſi fiat Proceſſio juxta locorum conſuetudinem, obſerventur ea, quæ dicta ſunt de Proceſſione Sanctiſſimi Corporis Chriſti, niſi, quod in hac Proceſſione omittantur Stationes, & regulariter fiat intra Eccleſiam, poteſt tamen etiam fieri circa atrium ipſius Eccleſiæ, ubi mos eſt.

In reditu Proceſſionis depoſitum Sanctiſſimum Sacramentum ſupra locum præparatum incenſatur, cantantibus interim Cantoribus: **O Salutaris Hoſtia! &c.** aut aliquod aliud breve Reſponſorium, eoque finito cantantur Litaniæ de omnibus Sanctis, aut aliæ, quibus perſolutis adhuc genuflexus Officians dicit: **Pater noſter &c. Et ne nos inducas in tentationem.** Dictoque a Cantoribus Pſalmo: **Deus in Adjutorium meum intende, &c.** vel alio conveniente, dicit Verſiculos, & Orationes pro temporis neceſſitate convenientes, quibus finitis recedit cum Miniſtris in Sacriſtiam. Si conſuetudo ſit peracta proceſſione dandi benedictionem, quæ in tali caſu regulariter dari non debet, niſi in fine Veſperarum, tunc ſerventur ea, quæ dicta ſunt ſupra.

DE ORATIONE

pro neceſſitate publica: videlicet contra Peſtem, tempore belli &c. coram Sanctiſſimo expoſito.

Omnia reſpective fiant, ut in Oratione 40. horarum ſupra dictum eſt, præter Proceſſionem ultima die faciendam.

Poſt Miſſam de Sanctiſſimo celebratam, Sanctiſſimum velatur manens in loco ſuo expoſitum, Officians vero ſe recipit in Sacriſtiam, & depoſitis albis paramentis ſumit violacea manente albo colore Altaris, deinde iterum accedit altare, ac ante illud genuflexus dicit: Exurge &c. fiuntque omnia ut in Rogationibus, & in locis illis, quæ viſitantur, dicitur Verſus & Collecta de Patrono loci.

In reditu Proceſſionis revelatur Sanctiſſimum, & finitis Litaniis in Proceſſione decantari ſolitis, dicitur ab Officiante ante Altare genuflexo: Pater noſter. Deinde a Choro, vel Cantoribus, Pſalmus conveniens, quo finito Officians dicit verſiculos, & orationes neceſſitati publicæ convenientes, ut infra in Agendis. Demum cantatur: O Sacrum Convivium! &c. interea thurificat officians Sanctiſſimum Sacramentum, dictoque Verſu, & Collecta de Sanctiſſimo dat benedictionem in modum crucis ſemel nihil dicens.

Aliquando alia cauſa gravis occurrit, propter quam exponi debet Sanctiſſimum ad aliquod modicum cum tempus, v. gr. pro felici partu Imperatricis, aut ob infirmitatem Imperatoris, Principis &c. & tunc in Collegiatis, & inſignioribus Eccleſiis exponitur Sanctiſſimum in oſtenſorio ad veſperas, vel etiam mane ad Miſſam ubi conſuetudo eſt, fiuntque Litaniæ de omnibus Sanctis, & reliqua ut hic infra. In minoribus autem Eccleſiis poteſt etiam exponi Sanctiſſimum in ciborio clauſum, & albo velo tectum ſuper Altare vel portam tabernaculi, candelis ſaltem ſex coram eo ardentibus. Aperto oſtiolo tabernaculi antequam extrahatur, incenſatur de more, item antequam detur Benedictio. Debet autem proſtare feſtis diebus, quoties, & quamdiu durant divina, diebus vero ferialibus mane tantum.

In fine Miſſæ, vel divini officii dicuntur Litaniæ de omnibus Sanctis, vel aliæ; iisque finitis officians dicit: Pater noſter &c. Deinde cantato a Cantoribus, vel choro Pſalmo

mo convenienti, officians dicit Verſiculos & orationes neceſſitati, & tempori convenientes, ac ex Miſſali, Breviario, vel Agendis deſumptos, quibus abſolutis canitur a Choro: O Sacrum Convivium! &c. poſt hoc dicitur Verſus: Panem de cœlo &c. & Oratio: DEus, qui nobis ſub Sacramento mirabili &c. mox a Cantoribus canitur Tantum ergo Sacramentum &c. & ſub Genitori Genitoque, officians aſcendit altare, ac dum canitur: Sit & benedictio, dat cum Sanctiſſimo populo benedictionem formando crucem ſemel, & nihil dicendo.

DE PROCESSIONE SANCTISSIMI SACRAMENTI, ſingulis menſibus, vel diebus Jovis fieri ſolita.

Paulo ante Miſſam exponitur Sanctiſſimum in eminenti loco, & ſi Proceſſio fit ante Miſſam, Officians cum Miniſtris procedit de Sacriſtia, & agit omnia prout ſupra de Proceſſione Sanctiſſimi Corporis Chriſti dictum eſt, dumque ſe cum Sanctiſſimo vertit ad populum, Cantores incipiunt **Pange lingua &c.** mox progreditur proceſſio, quæ regulariter fit intra Eccleſiam, vel etiam, ſi populus ſit copioſior, circum illam ſine ulla ſtatione. In reditu ad altare incenſatur Sanctiſſimum, & reponitur in ſuo loco eminentiori, poſt modum officians deponit pluviale extra Altare ad cornu Epiſtolæ, vel ad credentiam, ſi adeſt, ſumit caſulam, & manipulum, & accedens ante gradus Altaris incipit Miſſam votivam de Sanctiſſimo Sacramento cum **Gloria & Credo,** aut ſi feſtum incidit primæ vel ſecundæ Claſſis, Miſſam de eodem feſto cum commemoratione de Sanctiſſimo ſub una concluſione, uti jam ſupra in Oratione 40 horarum notatum eſt. Finita Miſſa reſumit Pluviale, depoſita Caſula, & Manipulo in credentia, accedit ante infimum gradum Altaris & impoſito de

more

more incenſo thurificat Sanctiſſimum. Interea cantatur a Choro: Tantum ergo &c. & Genitori, Genitoque, uſque ad finem, officians vero finito cantu, dictoque a Diſcantiſtis, vel Miniſtris Verſu: Panem de cœlo &c. dicit Orationem ut ſupra, & dat ſub ſonitu Organi & campanularum benedictionem in forma crucis ſemel, nihil dicens.

Tandem recluditur Sanctiſſimum in tabernaculo, & officians cum Miniſtris diſcedit ad Sacriſtiam.

Poteſt etiam ejusmodi Proceſſio fieri poſt Miſſam, aut Veſperas ſolemnes, ubi conſuetudo eſt, obſervatis obſervandis uti jam dictum eſt. Sed tamen non niſi ſemel eadem die.

Notandum: quod ſi coram Sanctiſſimo expoſito cantetur Miſſa, vel Veſperæ ſolemnes de aliquo feſto primæ vel ſecundæ Claſſis, paramenta officiantis & Miniſtrorum erunt coloris feſto correſpondentis manente colore altaris albo. Ac quotiescunque tractat Officians ſanctiſſimum Sacramentum ſeu portando, ſeu dando cum illo benedictionem ſemper in albis id faciet, niſi celebraverit, aut cantaverit Miſſam in paramentis alius coloris, tunc enim ex Decreto Clementis Papæ XI. poterit continuare, & retinere illum colorem, excepto nigro, in quo, velut in Miſſa de Requiem, non convenit communionem aliis porrigere, neque benedictionem dare.

Sacerdotes celebrantes in Eccleſia, ubi exponitur Sanctiſſimum, tenentur Collectam dicere de ſanctiſſimo Sacramento.

Dictum eſt ſuperius, ut in altari coram Sanctiſſimo in monſtrantia expoſito ardeant cerei ſaltem ſex, quia alioqui ex Decreto Clementis Papæ XI. ardere debent viginti, & quidem ſuper menſa altaris in linea recta ſex, poſt hos aliquantum altius octo, a lateribus Oſtenſorii, ſeu Monſtrantiæ quatuor, & duo ſuper candelabris, quæ ſtare ſolent hinc inde ad ſuppedaneum altaris.

In

In iis locis, ubi ob defectum Cleri in proceſſionibus, & alias coram Sanctiſſimo Miniſtri ſacri non aſſiſtunt Officianti, ipſemet præmiſſo modo, quo fieri valet meliori, decenter perficiat.

Abuſus ille, vi cujus ſub Miſſa ſanctiſſimum Sacramentum populo exhibetur, & per ſacerdotem inchoantur Verſus: Ecce panis Angelorum &c. In figuris præſignatur &c. intermittendus eſt. Non minus illa conſuetudo, qua ſacerdos daturus benedictionem ipſe intonat Verſus: Tantum ergo &c. Genitori, Genitoque &c. Sed quotiescunque alias, præterquam in feſto ſanctiſſimi Corporis Chriſti ad ſtationes, populum cum Sanctiſſimo benedicit, id in ſilentio peragit.

In ipſa autem benedictione hunc ritum ſervare debet: ſtans verſus populum Monſtrantiam cum auguſtiſſimo Sacramento ante pectus tenet, deinde elevat illam decenti mora non ſuper caput, ſed tantum ad oculos, & eodem modo demittit eam infra pectus, mox iterum recte attollit usque ad pectus, & deinde ad ſiniſtrum humerum, mox ad dexterum, & rurſum ante pectus ducit, ibique aliquantulum ſiſtit, quaſi peracta ad omnes partes mundi cruce, eam etiam omnibus præbeat adorandam, tum verſus dexteram gyrum perficit.

DE PROCESSIONE GENERALI pro Fidelibus Defunctis.

In die animarum poſt vel etiam ante Miſſam Defunctorum fit proceſſio intra, vel circa Eccleſiam cum quinque ſtationibus, in qua omiſſis vexillis præfertur Crux, & officians aſpergit aqua benedicta ſepulchra obvia.

Initio proceſſionis canitur a Cantoribus Reſponſorium: Abſolve Domine &c. & cum perventum fuerit ad primam ſtationem, quæ fit contra occidentem, ſeu verſus, & prope portam majorem Eccleſiæ, alternatim a ſacerdote, miniſtris, & choro dicitur: Pſalmus 64.

Te

Te decet Hymnus Deus in Sion &c. ut ſuprà pag. 67. Part. II. ad cujus finem additur:

Requiem æternam dona eis Domine.
Et lux perpetua luceat eis.
Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.
Sacerdos dicit: Pater noſter &c.

Verſ. Et ne nos inducas in tentationem.
Reſp. Sed libera nos a malo.
Verſ. Non intres in judicium cum fidelibus defunctis.
Reſp. Quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis *vivens.*
Verſ. Domine exaudi orationem meam.
Reſp. Et clamor meus ad te veniat.
Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui inter Apoſtolicos Sacerdotes, famulos tuos Pontificiali, ſeu Sacerdotali & Clericali feciſti dignitate vigere: præſta quæſumus, ut eorum quoque perpetuo aggregentur conſortio. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

In fine Orationis dicit adhuc Sacerdos:

Benedictio Dei Pa ✠ tris omnipotentis, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ ſancti deſcendat ſuper hunc locum, & ſuper hæc corpora. Reſp. Amen.

Poſtea imponit incenſum, aſpergit locum ter aqua benedicta, & thurificat terno ductu in medio, a ſiniſtris, & a dextris non movendo ſe de loco.

In ulteriori progreſſu canitur a Cantoribus Reſponſor. Credo, quod Redemptor meus vivit &c. & ad ſecundam ſtationem, quæ fit contra aquilonem, dicitur:

Pſalmus 141.

Voce mea ad Dominum clamavi: voce mea ad Dominum deprecatus ſum.

Effundo in conſpectu ejus orationem meam: & tribulationem meam ante ipſum pronuntio.

In deficiendo ex me ſpiritum meum: & tu cognoviſti ſemitas meas.

In via hac, qua ambulabam: abſconderunt laqueum mihi.

Conſiderabam ad dexteram, & videbam: & non erat, qui cognoſceret me.

Periit fuga a me: & non eſt, qui requirat animam meam.

Clamavi ad te Domine, dixi: Tu es ſpes mea, portio mea in terra viventium.

Intende ad deprecationem meam: quia humiliatus ſum nimis.

Libera me a perſequentibus me: quia confortati ſunt ſuper me.

Educ de cuſtodia animam meam ad confitendum nomini tuo: me exſpectant juſti donec retribuas mihi.

Requiem æternam: dona eis Domine.

Et lux perpetua luceat eis.

Kyrie eleiſon &c. Pater noſter.

Verſ. Et ne nos inducas in tentationem.
Reſp. Sed libera nos a malo.
Verſ. Qui Lazarum reſuſcitaſti a monumento fœtidum.
Reſp. Tu eis Domine dona Requiem, & locum indulgentiæ.
Verſ. Domine exaudi orationem meam.
Reſp. Et clamor meus ad te veniat.
Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui nos Patrem & matrem honorare præcepiſti, miſerere clementer, animabus parentum noſtrorum, eorumque peccata dimitte, nosque eos in æterna claritate fac videre. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Benedictio, & alia ut ſupra. In progreſſu canitur a Cantoribus Reſponſ. Qui Lazarum &c. ac ad tertiam ſtationem, quæ fit contra Orientem, dicitur:

Pſalmus 145.

Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in via mea: pſallam Deo meo quamdiu fuero.

Nolite confidere in principibus: in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus.

Exibit ſpiritus ejus, & revertetur in terram ſuam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.

Beatus, cujus Deus Jacob adjutor ejus, ſpes ejus in Domino Deo ipſius: qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt.

Qui cuſtodit veritatem in ſæculum, facit judicium injuriam patientibus: dat eſcam eſurientibus.

Dominus ſolvit compeditos: Dominus illuminat cæcos.

Dominus erigit eliſos: Dominus diligit juſtos.

Dominus cuſtodit advenas, pupillum, & viduam ſuſcipiet: & vias peccatorum diſperdet.

Regnabit Dominus in ſæcula, Deus tuus Sion: in generationem, & generationem.

Requiem æternam dona eis Domine.

Et lux perpetua luceat eis.

Kyrie eleiſon &c. Pater noſter.

Verſ. Et ne nos inducas in tentationem.
Reſp. Sed libera nos a malo.
Verſ. A porta inferi.
Reſp. Erue Domine animas eorum.
Verſ. Domine exaudi orationem meam.
Reſp. Et clamor meus ad te veniat.
Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Deus veniæ largitor, & humanæ ſalutis amator: quæſumus clementiam tuam; ut noſtræ congregationis fratres, propinquos, & benefactores, qui ex hoc ſæculo tranſierunt, beata Maria ſemper Virgine intercedente, cum omnibus Sanctis, ad perpetuæ beatitudinis conſortium pervenire concedas. Per Chriſtum Dominum noſtrum. **Reſp.** Amen.

Bene-

Benedictio, & reliqua ut ſupra, in prima ſtatione. In progreſſu canitur a Cantoribus Reſponſ. Peccantem me quotidie &c. deinde ad quartam ſtationem, quæ contra meridiem, dicitur Canticum Ezechiæ.

Iſaiæ 38.

Ego dixi in dimidio dierum meorum: vadam ad portas inferi.

Quæſivi reſiduum annorum meorum: dixi: non videbo Dominum Deum in terra viventium.

Non aſpiciam hominem ultra: & habitatorem quietis.

Generatio mea ablata eſt, & convoluta eſt a me: quaſi tabernaculum paſtorum.

Præciſa eſt velut a texente vita mea, dum adhuc ordirer, ſuccidit me: de mane uſque ad veſperam finies me.

Sperabam uſque ad mane: quaſi leo ſic contrivit omnia oſſa mea.

De mane uſque ad veſperam finies me: ſicut pullus hirundinis ſic clamabo, meditabor ut columba.

Attenuati ſunt oculi mei: ſuſpicientes in excelſum.

Domine vim patior, reſponde pro me: quid dicam, aut quid reſpondebit mihi, cum ipſe fecerit?

Recogitabo tibi omnes annos meos: in amaritudine animæ meæ.

Domi-

Domine, ſi ſic vivitur, & in talibus vita ſpiritus mei, corripies me, & vivificabis me: Ecce in pace amaritudo mea amariſſima.

Tu autem eruiſti animam meam, ut non periret: projeciſti poſt tergum tuum omnia peccata mea.

Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te: non exſpectabunt, qui deſcendunt in lacum, veritatem tuam.

Vivens, vivens ipſe confitebitur tibi, ſicut & ego hodie: pater filiis notam faciet veritatem tuam.

Domine ſalvum me fac: & pſalmos noſtros cantabimus cunctis diebus vitæ noſtræ in domo Domini.

Requiem æternam dona eis Domine.
Et lux perpetua luceat eis.

Kyrie eleiſon,
Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Pater noſter.

Verſ. Et ne nos inducas in tentationem.
Reſp. Sed libera nos a malo.
Verſ. Requiem æternam dona eis Domine.
Reſp. Et lux perpetua luceat eis.
Verſ. Domine exaudi Orationem meam.
Reſp. Et clamor meus ad te veniat.
Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Ore-

Oremus.

Deus, cujus miſeratione animæ fidelium requieſcunt; famulis & famulabus tuis omnibus, hic & ubique in Chriſto quieſcentibus, da propitius ſuorum veniam peccatorum; ut a cunctis reatibus abſoluti, tecum ſine fine lætentur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Benedictio &c. ut ſupra in prima ſtatione.

In progreſſu canitur a Cantoribus Reſponſorium: Libera me Domine &c. quinta ſtatio fit ante Presbyterium in medio Eccleſiæ, vel ſi proceſſio fit extra Eccleſiam, ante illam, ubi dicitur:

Pſalmus 148.

Laudate Dominum de cœlis: laudate eum in excelſis.

Laudate eum omnes Angeli ejus: laudate eum omnes virtutes ejus.

Laudate eum ſol & luna: laudate eum omnes ſtellæ & lumen.

Laudate eum cœli cœlorum: & aquæ omnes, quæ ſuper cœlos ſunt, laudent nomen Domini.

Quia ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandavit, & creata ſunt.

Statuit ea in æternum, & in ſæculum ſæculi: præceptum poſuit, & non præteribit.

Laudate Dominum de terra: dracones, & omnes abyſſi:

Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum: quæ faciunt verbum ejus.

Montes & omnes colles: ligna fructifera, & omnes cedri.

Beſtiæ, & univerſa pecora: ſerpentes & volucres pennatæ.

Reges terræ, & omnes populi: principes, & omnes judices terræ.

Juvenes & virgines, ſenes cum junioribus laudent nomen Domini: quia exaltatum eſt nomen ejus ſolius.

Confeſſio ejus ſuper cœlum & terram: & exaltavit cornu populi ſui.

Hymnus omnibus ſanctis ejus: filiis Iſrael, populo appropinquanti ſibi.

Requiem æternam dona eis Domine.

Et lux perpetua luceat eis.

Pſalmus 49.

Cantate Domino canticum novum: laus ejus in Eccleſia Sanctorum.

Lætetur Iſrael in eo, qui fecit eum: & filii Sion exultent in rege ſuo.

Laudent nomen ejus in choro: in tympano, & pſalterio pſallant ei.

Quia beneplacitum eſt Domino in populo ſuo: & exaltabit manſuetos in ſalutem.

Exultabunt Sancti in gloria: lætabuntur in cubilibus ſuis.

Ex-

Exaltationes Dei in gutture eorum: & gladii ancipites in manibus eorum.

Ad faciendam vindictam in nationibus: increpationes in populis.

Ad alligandos reges eorum in compedibus: & nobiles eorum in manicis ferreis.

Ut faciant in eis judicium conſcriptum: gloria hæc eſt omnibus ſanctis ejus.

Requiem æternam dona eis Domine.

Et lux perpetua luceat eis.

Pſalmus 150.

Laudate Dominum in ſanctis ejus: laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus ejus: laudate eum ſecundum multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in ſono tubæ: laudate eum in pſalterio & cithara.

Laudate eum in tympano & choro: laudate eum in chordis & organo.

Laudate eum in cymbalis beneſonantibus: laudate eum in cymbalis jubilationis: omnis ſpiritus laudet Dominum.

Requiem æternam dona eis Domine.

Et lux perpetua luceat eis.

Kyrie eleiſon &c. Pater noſter.

Verſ. Et ne nos inducas in tentationem.

Reſp. Sed libera nos a malo.

Verſ. Abſolve Domine animas omnium fidelium Defunctorum.
Reſp. Ab omni vinculo delictorum.
Verſ. Domine exaudi orationem meam.
Reſp. Et clamor meus ad te veniat.
Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Fidelium omnium Deus conditor, & redemptor, animabus famulorum, famularumque tuarum, remiſſionem cunctorum tribue peccatorum; ut indulgentiam, quam ſemper optaverunt, piis ſupplicationibus conſequantur. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Reſp. Amen.

Deinde Benedictio & reliqua, ut ſupra, in prima ſtatione. Quibus finitis dicitur a Cantoribus, vel in horum defectu, a Sacerdote in tono conſueto.

Verſ. Requieſcant in pace.
Reſp. Amen.

Poſtrema ubi mos eſt, canitur Antiphona:

Salve Regina, mater miſericordiæ, vita, dulcedo, & ſpes noſtra ſalve. Ad te clamamus exules, filii Hevæ. Ad te ſuſpiramus gementes, & flentes in hac lacrymarum valle. Eja ergo advocata noſtra, illos tuos miſericordes oculos ad nos converte. Et JEſum benedictum fructum ventris tui, nobis poſt hoc exilium oſtende. O clemens, o pia, o dulcis virgo Maria.

Verſ.

Verſ. Ora pro nobis ſancta Dei Genitrix.
Reſp. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne DEus, qui glorioſæ virginis Matris Mariæ corpus & animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu ſancto cooperante præparaſti: da, ut cujus commemoratione lætamur, ejus pia interceſſione ab inſtantibus malis, & a morte perpetua liberemur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Verſ. Divinum auxilium maneat ſemper nobiscum.
Reſp. Amen.

In Dedicatione Eccleſiæ.

Facta aſperſione ad proceſſionem canitur Reſponſorium: Terribilis eſt locus iſte, non eſt hic aliud niſi domus Dei, & porta cœli. Vere etenim Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam.

Verſ. Cumque evigilaſſet Jacob, quaſi de gravi ſomno, ait: Vere etenim Dominus eſt &c.

Gloria Patri &c. In loco iſto, & ego neſciebam.

In medio Eccleſiæ ad ſtationem canitur.

Antiph. Pax æterna &c.
Verſ. Domus mea.
Reſp. Domus orationis vocabitur.

Oremus.

DEUS, qui nobis per ſingulos annos hujus ſancti templi tui conſecrationis reparas diem, & ſacris ſemper Myſteriis repræſentas incolumes: exaudi preces populi tui, & præſta; ut quisquis hoc templum beneficia petiturus ingreditur, cuncta ſe impetraſſe lætetur. Per Dominum &c.

Ad finem proceſſionis Antiph. Salvator mundi. ut ſupra Part. II. pag. 109.

DE PROCESSIONIBUS EXTRAORDINARIIS.

In locis, ubi non eſt conſuetudo ſervandi ſequentes proceſſiones extraordinarias, habentur litaniæ, & aliæ preces præſcriptæ coram Sanctiſſimo expoſito, & concluditur cum benedictione ut ſupra.

DE PROCESSIONE AD PETENDAM PLUVIAM.

Aguntur omnia, ut ſupra in Litaniis majoribus, usque ad finem Litaniarum, in quarum precibus, bis dicitur: Ut congruentem pluviam fidelibus tuis concedere digneris. Te rogamus audi nos. In fine poſtea dicitur: Pater noſter. ſecreto.

Verſ. Et ne nos inducas in tentationem.
Reſp. Sed libera nos a malo.

Pſalmus 146.

LAudate Dominum, quoniam bonus eſt Pſalmus: Deo noſtra ſit jucunda, decoraque laudatio.

Ædificans Jeruſalem Dominus: diſperſiones Iſraelis congregabit. Qui

Qui ſanat contritos corde: & alligat contritiones eorum.

Qui numerat multitudinem ſtellarum: & omnibus eis nomina vocat.

Magnus Dominus noſter, & magna virtus ejus: & ſapientiæ ejus non eſt numerus.

Suſcipiens manſuetos Dominus: humilians autem peccatores uſque ad terram.

Præcinite Domino in confeſſione: pſallite Deo noſtro in cithara.

Qui operit cœlum nubibus: & parat terræ pluviam.

Qui producit in montibus fœnum: & herbam ſervituti hominum.

Qui dat jumentis eſcam ipſorum: & pullis corvorum invocantibus eum.

Non in fortitudine equi voluntatem habebit: nec in tibiis viri beneplacitum erit ei.

Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum: & in eis, qui ſperant ſuper miſericordia ejus.

Gloria Patri &c.

Quo finito dicantur preces.

Verſ. Operi Domine cœlum nubibus.
Reſp. Et para terræ pluviam.
Verſ. Ut producat in montibus fœnum.
Reſp. Et herbam ſervituti hominum.
Verſ. Riga montes de ſuperioribus tuis.
Reſp. Et de fructu operum tuorum ſatiabitur terra.

Verſ.

Verſ. Domine exaudi orationem meam.
Reſp. Et clamor meus ad te veniat.
Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Deus, in quo vivimus, movemur & ſumus; pluviam nobis tribue congruentem, ut præſentibus auxiliis ſufficienter adjuti, ſempiterna fiducialius appetamus.

Oratio.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus: ut qui in afflictione noſtra, de tua pietate confidimus, contra adverſa omnia, tua ſemper protectione muniamur.

Oratio.

Da nobis quæſumus, Domine, pluviam ſalutarem, & aridam terræ faciem fluentis cœleſtibus dignanter infunde. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum Filium tuum &c.

Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.
Verſ. Benedicamus Domino.
Reſp. Deo gratias.
Verſ. Exaudiat nos omnipotens & miſericors Dominus. Reſp. Amen.
Verſ. Fidelium animæ per miſericordiam DEI requieſcant in pace. Reſp. Amen.

PRO-

PROCESSIO
AD POSTULANDAM SERENITATEM.

Omnia fiant, ut ſupra in Litaniis majoribus, & in Litaniarum precibus, bis dicatur: Ut fidelibus tuis aeris ſerenitatem concedere digneris. Te rogamus audi nos. Ad finem obſecrationum, dicitur: Pater noſter &c.

Verſ. Et ne nos inducas in tentationem.
Reſp. Sed libera nos a malo.

Pſalmus 66.

Deus miſereatur noſtri &c. ut ſupra Part. II. pag. 52.

Verſ. Adduxiſti Domine Spiritum tuum ſuper terram.
Reſp. Et prohibitæ ſunt pluviæ de cœlo.
Verſ. Cum obduxero nubibus cœlum.
Reſp. Apparebit arcus meus, & recordabor fœderis mei.
Verſ. Illuſtra faciem tuam, Domine ſuper ſervos tuos.
Reſp. Et benedic ſperantes in te.
Verſ. Domine exaudi orationem meam.
Reſp. Et clamor meus ad te veniat.
Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces populi tui ſupplicantis propitius reſpice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis noſtris meremur, averte.

Oratio.

Ad te nos, Domine, clamantes exaudi, & aeris ſerenitatem nobis tribue ſupplicantibus: ut, qui

juſte pro peccatis noſtris affligimur, miſericordia tua præveniente clementiam ſentiamus.

Oratio.

Quæſumus omnipotens Deus clementiam tuam, ut inundantiam coerceas imbrium, & hilaritatem vultus tui nobis impertiri digneris. Per Dominum noſtrum &c.

PRECES

dicendæ tempore Penuriæ, & Famis.

Aguntur omnia, ut ſupra in Litaniis majoribus, uſque ad finem Litaniarum, in quarum precibus, bis dicitur: Ut fructus terræ dare, & conſervare digneris. Poſt Litanias dicitur: Pater noſter &c.

Verſ. Et ne nos inducas in tentationem.
Reſp. Sed libera nos a malo.

Pſalmus 22.

Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco paſcuæ ibi me collocavit.

Super aquam refectionis educavit me; animam meam convertit.

Deduxit me ſuper ſemitas juſtitiæ: propter nomen ſuum.

Nam, & ſi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es.

Virga tua, & baculus tuus: ipſa me conſolata ſunt.

Paraſti

Paraſti in conſpectu meo menſam: adverſus eos, qui tribulant me.

Impinguaſti in oleo caput meum: & calix meus inebrians, quam præclarus eſt?

Et miſericordia tua ſubſequetur me: omnibus diebus vitæ meæ.

Et ut inhabitem in domo Domini: in longitudinem dierum.

Gloria Patri & Filio &c.

Verſ. Domine, non ſecundum peccata noſtra facias nobis.
Reſp. Neque ſecundum iniquitates noſtras retribuas nobis.
Verſ. Oculi omnium in te ſperant, Domine.
Reſp. Et tu das illis eſcam in tempore opportuno.
Verſ. Memento congregationis tuæ.
Reſp. Quam poſſediſti ab initio.
Verſ. Dominus dabit benignitatem.
Reſp. Et terra noſtra dabit fructum ſuum.
Verſ. Domine exaudi orationem meam.
Reſp. Et clamor meus ad te veniat.
Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Ineffabilem nobis Domine, miſericordiam tuam clementer oſtende: ut ſimul nos, & a peccatis omnibus exuas, & a pœnis, quas pro his meremur, eripias.

Oratio.

Da nobis, quæſumus Domine, piæ ſupplicationis effectum, & famem propitiatus averte, ut mortalium corda cognoſcant, & te indignante talia flagella prodire, & te miſerante ceſſare.

Oratio.

Populum tibi ſubditum, pro peccatis ſuis fame laborantem, ad te Domine converte propitius, qui quærentibus regnum tuum, omnia adjicienda eſſe dixiſti. Qui vivis & regnas &c.

PROCESSIO

Tempore Mortalitatis & Peſtis.

Fiat ut ſupra in Litaniis majoribus, & in Litaniarum precibus, dicatur bis: A peſte, & fame, libera nos Domine. Ut a peſtilentiæ flagello nos liberare digneris &c. In fine Litaniarum dicitur: Pater noſter &c.

Verſ. Et ne nos inducas in tentationem.
Reſp. Sed libera nos a malo.

Pſalmus 6.

Domine, ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum: ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea.

Et anima mea turbata eſt valde: ſed tu Domine uſquequo?

Con-

Convertere Domine, & eripe animam meam: ſalvum me fac propter miſericordiam tuam.

Quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum: lacrymis meis ſtratum meum rigabo.

Turbatus eſt a furore oculus meus: inveteravi inter omnes inimicos meos.

Diſcedite a me omnes, qui operamini iniquitatem: quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam ſuſcepit.

Erubeſcant, & conturbentur vehementer omnes inimici mei: convertantur, & erubeſcant valde velociter. Gloria Patri &c.

Verſ. Domine, non ſecundum peccata noſtra facias nobis.
Reſp. Neque ſecundum iniquitates noſtras retribuas nobis.
Verſ. Adjuva nos Deus ſalutaris noſter.
Reſp. Et propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos.
Verſ. Domine, ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum.
Reſp. Cito anticipent nos miſericordiæ tuæ, quia pauperes facti ſumus nimis.
Verſ. Ora pro nobis ſancte Sebaſtiane.
Reſp. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Verſ. Domine exaudi orationem meam.
Reſp. Et clamor meus ad te veniat.
Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Exaudi nos Deus ſalutaris noſter, & intercedente beata & glorioſa Dei Genitrice Maria, ſemper Virgine, & beato Sebaſtiano Martyre tuo, & omnibus Sanctis, populum tuum ab iracundiæ tuæ terroribus libera, & miſericordiæ tuæ ſac largitate ſecurum.

Oratio.

Propitiare Domine, ſupplicationibus noſtris, & animarum & corporum medere langvoribus: ut remiſſione percepta, in tua ſemper benedictione lætemur.

Oratio.

Da nobis, quæſumus Domine, piæ petitionis effectum, & peſtilentiam, mortalitatemque propitiatus averte, ut mortalium corda cognoſcant, & te indignante talia flagella prodire, & te miſerente ceſſare. Per Dominum noſtrum &c.

PRECES

dicendæ in Litaniis tempore belli.

Peractis omnibus, ut ſupra in Litaniis majoribus, ad finem Litaniarum dicitur: Pater noſter &c.

Verſ.

Verſ. Et ne nos inducas in tentationem.
Reſp. Sed libera nos a malo.

Pſalmus. 45.

Deus noſter refugium & virtus: adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.

Propterea non timebimus, dum turbabitur terra: & transferentur montes in cor maris.

Sonuerunt, & turbatæ ſunt aquæ eorum: conturbati ſunt montes in fortitudine ejus.

Fluminis impetus lætificat civitatem Dei: ſanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus.

Deus, in medio ejus, non commovebitur: adjuvabit eam Deus mane diluculo.

Conturbatæ ſunt gentes, & inclinata ſunt regna: dedit vocem ſuam, mota eſt terra.

Dominus virtutum nobiscum: ſuſceptor noſter Deus Jacob.

Venite & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram: auferens bella uſque ad finem terræ.

Arcum conteret, & confringet arma: & ſcuta comburet igni.

Vacate, & videte quoniam ego ſum Deus: exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra.

Dominus virtutum nobiscum: ſuſceptor noſter Deus Jacob.

Gloria Patri & Filio &c.

Verſ.

Verſ. Exurge Domine, adjuva nos.
Reſp. Et libera nos propter nomen tuum.
Verſ. Salvum fac populum tuum Domine.
Reſp. Deus meus ſperantem in te.
Verſ. Fiat pax in virtute tua.
Reſp. Et abundantia in turribus tuis.
Verſ. Eſto nobis, Domine, turris fortitudinis.
Reſp. A facie inimici.
Verſ. Arcum contere, & confringe arma.
Reſp. Et ſcuta combure igni.
Verſ. Mitte nobis Domine auxilium de Sancto.
Reſp. Et de Sion tuere nos.
Verſ. Domine exaudi orationem meam.
Reſp. Et clamor meus ad te veniat.
Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui conteris bella, & impugnatores in te ſperantium potentia tuæ defenſionis expugnas: auxiliare famulis tuis implorantibus miſericordiam tuam; ut inimicorum ſuorum feritate depreſſa, inceſſabili gratiarum actione laudemus.

Oratio.

Deus, a quo ſancta deſideria, recta conſilia, & juſta ſunt opera, da ſervis tuis illam, quam mundus dare non poteſt, pacem; ut & corda noſtra mandatis tuis dedita, & hoſtium ſublata formidine, tempora ſint tua protectione tranquilla.

Ora-

Oratio.

Hoſtium noſtrorum, quæſumus Domine, elide ſuperbiam, & eorum contumaciam dexteræ tuæ virtute proſterne. Per Dominum noſtrum &c.

Si vero bellum eſt contra Turcas & alios infideles, inter preces Litaniarum bis dicatur: Ut inimicos ſanctæ Eccleſiæ humiliare digneris, te rogamus audi nos &c. & addatur: Ut Turcarum, vel Infidelium conatus reprimere, & ad nihilum redigere digneris, te rogamus &c. & dicto: Pater noſter, dicatur.

Pſalmus 78.

Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum: poſuerunt Jeruſalem in pomorum cuſtodiam.

Poſuerunt morticina ſervorum tuorum, eſcas volatilibus cœli: carnes Sanctorum tuorum, beſtiis terræ.

Effuderunt ſanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Jeruſalem: & non erat qui ſepeliret.

Facti ſumus opprobrium vicinis noſtris: ſubſannatio, & illuſio his, qui in circuitu noſtro ſunt.

Uſquequo Domine iraſceris in finem: accendetur velut ignis zelus tuus?

Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt: & in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt.

Quia comederunt Jacob: & locum ejus deſolaverunt.

Ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum, cito anticipent nos miſericordiæ tuæ: quia pauperes facti ſumus nimis.

Adjuva nos Deus ſalutaris noſter, & propter gloriam nominis tui Domine libera nos: & propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum.

Ne forte dicant in gentibus. Ubi eſt Deus eorum: & innoteſcat in nationibus coram oculis noſtris.

Ultio ſanguinis ſervorum tuorum, qui effuſus eſt: introeat in conſpectu tuo gemitus compeditorum.

Secundum magnitudinem brachii tui: poſſide filios mortificatorum.

Et redde vicinis noſtris ſeptuplum in ſinu eorum: improperium ipſorum, quod exprobraverunt tibi Domine.

Nos autem populus tuus, & oves paſcuæ tuæ: confitebimur tibi in ſæculum.

In generationem, & generationem: annuntiabimus laudem tuam.

Gloria Patri & Filio &c.

Verſ. Salvos fac ſervos tuos.
Reſp. Deus meus ſperantes in te.
Verſ. Eſto nobis Domine turris fortitudinis.
Reſp. A facie inimici.
Verſ. Nihil proficiat inimicus in nobis.
Reſp. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

Verſ.

Verſ. Hoſtium nominis tui Domine elide ſuperbiam.
Reſp. Et eorum contumaciam dexteræ tuæ virtute proſterne.
Verſ. Fiant tanquam pulvis ante faciem venti.
Reſp. Et Angelus Domini perſequatur eos.
Verſ. Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt.
Reſp. Et in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt.
Verſ. Mitte nobis auxilium de Sancto.
Reſp. Et de Sion tuere nos.
Verſ. Domine exaudi Orationem meam.
Reſp. Et clamor meus ad te veniat.
Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Da, quæſumus Eccleſiæ tuæ, miſericors Deus, ut ſancto Spiritu congregata, hoſtili nullatenus incurſione turbetur.

Oratio.

Deus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces populi tui ſupplicationis propitius reſpice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis noſtris meremur, averte.

Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, in cujus manu ſunt omnium poteſtates, & omnium jura regnorum, reſpice in auxilium Chriſtianorum: ut gentes Turcarum, ſeu Infidelium, quæ in ſua feritate confi-

dunt, dexteræ tuæ potentia conterantur. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum &c.

Exaudiat nos Dominus. Amen.

PROCESSIO
in quacunque tribulatione.

Servatis omnibus, ut ſupra in Litaniis majoribus; finitisque Litaniis, dicitur: Pater noſter &c.

Verſ. Et ne nos inducas in tentationem.
Reſp. Sed libera nos a malo.

Pſalmus 19.

Exaudiat te Dominus in die tribulationis: protegat te nomem Dei Jacob.

Mittat tibi auxilium de Sancto: & de Sion tueatur te.

Memor ſit omnis ſacrificii tui: & holocauſtum tuum pingue fiat.

Tribuat tibi ſecundum cor tuum: & omne conſilium tuum confirmet.

Lætabimur in ſalutari tuo: & in nomine Dei noſtri magnificabimur.

Impleat Dominus omnes petitiones tuas: tunc cognovi, quoniam ſalvum fecit Dominus Chriſtum ſuum.

Exaudiet illum de cœlo ſancto ſuo: in potentatibus ſalus dexteræ ejus.

Hi

Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei noſtri invocabimus

Ipſi obligati ſunt, & ceciderunt: nos autem ſurreximus, & erecti ſumus.

Domine, ſalvum fac regem: & exaudi nos in die, qua invocaverimus te.

Gloria Patri & Filio &c.

Pſalmus 90.

Qui habitat in adjutorio Altiſſimi: in protectione Dei cœli commorabitur.

Dicet Domino, ſuſceptor meus es tu, & refugium meum: Deus meus, ſperabo in eum.

Quoniam ipſe liberavit me de laqueo venantium: & a verbo aſpero.

Scapulis ſuis obumbrabit tibi: & ſub pennis ejus ſperabis.

Scuto circumdabit te veritas ejus: non timebis a timore nocturno.

A ſagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris: ab incurſu, & dæmonio meridiano.

Cadent a latere tuo mille, & decem millia a dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.

Verumtamen oculis tuis conſiderabis: & retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es Domine ſpes mea: altiſſimum poſuiſti refugium tuum.

Non accedet ad te malum: & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam Angelis ſuis mandavit de te: ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te: ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aſpidem & baſiliscum ambulabis: & conculcabis leonem & draconem.

Quoniam in me ſperavit, liberabo eum: *protegam eum*, quoniam cognovit nomen meum.

Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & *glorificabo* eum.

Longitudine dierum replebo eum: & oſtendam illi ſalutare meum.

Gloria Patri & Filio &c.

Quo finito dicuntur Verſus.

Verſ. Deus refugium noſtrum & virtus.
Reſp. Adjutor in tribulationibus.
Verſ. Salvos fac ſervos tuos Domine.
Reſp. Deus meus ſperantes in te.
Verſ. Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis.
Reſp. Miſerere nobis.
Verſ. Adjuva nos Deus ſalutaris noſter.
Reſp. Et propter gloriam nominis tui Domine libera nos.
Verſ. Domine exaudi orationem meam.
Reſp. Et clamor meus ad te veniat.
Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Ore-

Oremus.

Ne deſpicias omnipotens Deus populum tuum in afflictione clamantem: ſed propter gloriam nominis tui tribulatis ſuccurre placatus.

Oratio.

Ineffabilem miſericordiam tuam, Domine nobis clementer oſtende: ut ſimul nos, & a peccatis omnibus exuas, & a pœnis, quas pro his meremur, eripias.

Oratio.

Concede nos famulos tuos, quæſumus Domine Deus, perpetua mentis & corporis ſanitate gaudere, & glorioſa beatæ Mariæ ſemper Virginis interceſſione, a præſenti liberari triſtitia, & æterna perfrui lætitia.

Oratio.

Tribulationem noſtram, quæſumus Domine, propitius reſpice, & iram tuæ indignationis, quam juſte meremur, averte.

Oratio.

Deus refugium noſtrum & virtus, adeſto piis Eccleſiæ tuæ precibus auctor ipſe pietatis, & præſta: ut quod fideliter petimus, efficaciter conſequamur. Per Dominum noſtrum &c.

Ora-

Oratio tempore interregni.

Deus regnorum omnium & auctor, protector & cuſtos: reſpice quæſumus in novi Regis noſtri electionem: ut dextera tua interveniente eligatur, qui Eccleſiæ tuæ fidelis, te dirigente, tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat. Per Dominum &c.

Oratio pro Imperatore.

DEUS regnorum *omnium, & Chriſtiani* maxime protector imperii: da ſervo tuo Imperatori noſtro N. triumphum *virtutis tuæ* ſcienter excolere; ut qui tua inſtitutione eſt princeps, tuo ſit ſemper munere potens. Per Dominum noſtrum &c.

Oratio pro Rege.

Quæſumus omnipotens Deus: ut famulus tuus N. Rex noſter, qui tua miſeratione ſuſcepit regni gubernacula, virtutum etiam omnium percipiat incrementa; quibus decenter ornatus, & vitiorum monſtra devitare, & ad te, qui via, veritas & vita es, glorioſus valeat pervenire. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum Filium tuum &c.

Oratio pro Principe ægrotante.

Deus infirmitatis humanæ ſingulare præſidium: auxilii tui ſuper infirmum famulum tuum N. oſtende virtutem; ut ope miſericordiæ tuæ adjutus, Eccleſiæ

ſiæ tuæ ſanctæ incolumis repræſentari mereatur. Per Dominum noſtrum &c.

Oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, infirmitatem famuli tui N. propitius reſpice, atque ad protegendum eum, dexteram tuæ Majeſtatis extende. Per Dominum noſtrum &c.

Orationes aliæ in neceſſitatibus publicis,

vel per ſe, vel cum ante poſitis, adhibendæ.

Oratio.

Adeſto ſupplicationibus noſtris omnipotens Deus: & quibus fiduciam ſperandæ pietatis indulges, conſuetæ miſericordiæ tribue benignus effectum. Per Dominum noſtrum &c.

Oratio.

Prætende Domine fidelibus tuis dexteram cœleſtis auxilii: ut te toto corde perquirant, &, quæ digne poſtulant, conſequantur. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum &c.

Oratio.

Eſto Domine propitius plebi tuæ: & quam tibi facis eſſe devotam, refove miſeratus auxilio. Per Dominum noſtrum &c.

PRECES

dicendæ in Proceſſione pro gratiarum actione.

Initio Proceſſionis cantatur Hymnus: Te DEUM laudamus &c. Deinde dici poterunt Pſalmi, qui ſequuntur prout tempus feret.

Pſalmus 65. Jubilate Deo omnis terra &c.
Pſalmus 80. Exultate Deo adjutori noſtro &c.
Pſalmus 95. Cantate Domino canticum &c.
Pſalmus 99. Jubilate Deo omnis terra &c.
Pſalmus 102. Benedic anima mea Domino &c.
Pſalmus 116. Laudate Dominum omnes &c.
Pſalmus 148. Laudate Dominum de cœlis &c.
Pſalmus 149. Catate Domino canticum &c.
Pſalmus 150. Laudate Dominum in Sanctis &c.
Canticum trium puerorum. Dan 3. Benedicite &c.
Cantic. Zachar. Luc. 1. Benedictus Dominus &c.

Hæc autem prædicta, prout longitudo itineris poſtulaverit, vel omnia, vel ex parte cantari poſſunt. Deinde in Eccleſia, ubi fit ſtatio, ante Altare dicuntur ſequentes verſus & orationes.

Verſ. Benedictus es Domine Deus Patrum noſtrorum.
Reſp. Et laudabilis & glorioſus in ſæcula.
Verſ. Benedicamus Patrem & Filium, cum ſancto Spiritu.
Reſp. Laudemus & ſuperexaltemus eum in ſæcula.
Verſ. Benedictus es, Domine, in firmamento cœli.
Reſp. Et laudabilis, & glorioſus, & ſuperexaltatus in ſæcula.
Verſ. Benedic anima mea Domino.
Reſp. Et noli obliviſci omnes retributiones ejus.
Verſ. Domine exaudi orationem meam.
Reſp. Et clamor meus ad te veniat.

Verſ.

Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Deus, cujus miſericordiæ non eſt numerus, & bonitatis infinitus eſt theſaurus: piiſſimæ Majeſtati tuæ, pro collatis donis gratias agimus, tuam ſemper clementiam exorantes; ut, qui petentibus poſtulata concedis, eosdem non deſerens ad præmia futura diſponas.

Oratio.

Deus, qui corda fidelium, ſancti Spiritus illuſtratione docuiſti: da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, & de ejus ſemper conſolatione gaudere.

Oratio.

Deus, qui neminem in te ſperantem nimium affligi permittis: ſed pium precibus præſtas auditum, pro poſtulationibus noſtris, votisque ſuſceptis, gratias agimus, te piiſſime deprecantes, ut a cunctis ſemper muniamur adverſis. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Reſp. Amen.

In gratiarum actione, quæ fit lætitiæ publicæ cauſa absque Proceſſione.

Pridie veſperi pulſantur campanæ ſono ſolemniori per aliquod temporis ſpatium v. g. unius horæ. Sequenti vero die

die hora congrua populo congregato cantatur Miſſa ſolemnis de SS. Trinitate, vel Spiritu ſancto, aut de B. Maria V. (niſi incideret feſtum primæ aut ſecundæ Claſſis, quia tunc de feſto fit Miſſa) addita Orationi Miſſæ Collecta pro gratiarum actione ſub una concluſione cum Gloria & Credo.

Finita Miſſa Officians intonat Hymnum Ambroſianum: Te Deum laudamus. Choro reliqua uſque ad finem proſequente deinde dicitur:

Verſ. Benedicamus Patrem, & Filium, cum ſancto Spiritu.
Reſp. Laudemus & ſuperexaltemus eum in ſæcula.
Verſ. Domine exaudi orationem meam.
Reſp. Et clamor meus ad te veniat.
Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Deus, cujus miſericordiæ non eſt numerus, & bonitatis infinitus eſt theſaurus: piiſſimæ Majeſtati tuæ pro collatis donis, gratias agimus, tuam ſemper clementiam exorantes; ut, qui petentibus poſtulata concedis, eosdem non deſerens ad præmia futura diſponas. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorũ. Reſp. Amen.

DE PROCESSIONE
in translatione ſacrarum Reliquiarum inſignium.

Eccleſiæ, & via, per quas transeundum eſt, quam fieri poteſt, decentius ornentur. Sacerdos & miniſtri veſtibus induti albi vel rubei coloris, prout Sancti, quorum Reliquiæ trans-

transferuntur, expoſcunt, & cum luminaribus accenſis omnes procedant, decantantes Litanias cum invocatione Sanctorum, quorum Reliquiæ deferuntur; & Hymnum, Te Deum laudamus &c. & Pſalmum: Laudate Dominum de cœlis, cum duobus ſequentibus, ſupra Part. II. pag. 177. & alios Pſalmos & Hymnos de proprio, vel de communi eorum Sanctorum, quorum Reliquiæ transferuntur.

DE EXORCISMIS.

DE EXORCIZANDIS obſeſſis a dæmonio.

Sacerdos, ſeu quivis alius legitimus Eccleſiæ miniſter, vexatos a dæmone exorcizaturus, ea qua par eſt, pietate, prudentia ac vitæ integritate præditus eſſe debet, qui non ſua, ſed divina fretus virtute, ab omni rerum humanarum cupiditate alienus tam pium opus ex charitate conſtanter & humiliter exequatur. Hunc præterea maturæ ætatis eſſe decet, & non ſolum officio, ſed etiam morum gravitate reverendum.

Ut igitur ſuo munere recte fungatur, cum alia multa ſibi utilia documenta, quæ brevitatis gratia hoc loco prætermittuntur, ex probatis auctoribus, & ex uſu noſſe ſtudeat, tum hæc pauca magis neceſſaria diligenter obſervabit.

Imprimis, ne facile credat, aliquem a dæmone obſeſſum eſſe, ſed nota habeat ea ſigna, quibus obſeſſus dignoſcitur ab iis, qui vel atra bile, vel morbo aliquo laborant. Signa autem obſidentis dæmonis ſunt: ignota lingua loqui pluribus verbis, vel loquentem intelligere; diſtantia & occulta patefacere, vires ſupra ætatis, ſeu conditionis naturam oſtendere,

& id genus alia, quæ, cum plurima concurrunt, majora ſunt judicia.

Hæc autem ut magis cognoſcat, poſt unum, aut alterum exorciſmum interroget obſeſſum, quid ſenſerit in animo, vel in corpore, ut ſciat etiam ad quænam verba magis diaboli conturbentur, ut ea deinceps magis inculcet, ac repetat.

Advertat, quibus artibus, ac deceptionibus utantur dæmones ad Exorciſtam decipiendum: ſolent enim ut plurimum fallaciter reſpondere, & difficile ſe manifeſtare, ut Exorciſta diu defatigatus deſiſtat, aut infirmus videatur non eſſe a dæmonio vexatus. Aliquando, poſtquam ſunt *manifeſti*, abſcondunt ſe, & *relinquunt corpus quaſi liberum* ab omni moleſtia, ut infirmus putet ſe omnino eſſe liberatum; ſed ceſſare non debet Exorciſta, donec viderit ſigna liberationis. Aliquando etiam dæmones ponunt, quæcunque poſſunt, impedimenta, ne infirmus ſe ſubjiciat exorciſmis, vel conantur perſuadere infirmitatem eſſe naturalem: interdum in medio exorciſmi faciunt dormire infirmum, & ei viſionem aliquam oſtendunt, ſubtrahendo ſe, ut infirmus liberatus videatur. Aliqui oſtendunt factum maleficium, & a quibus ſit factum, & modum ad illud diſſipandum; ſed caveat, ne ob hoc ad magos, vel ad ſagas, vel ad alios, quam ad Eccleſiæ miniſtros confugiat, aut ulla ſuperſtitione, aut alio modo illicito utatur. Quandoque diabolus infirmum quieſcere & ſuſcipere ſanctiſſimam Euchariſtiam permittit, ut diſceſſiſſe videatur. Denique innumerabiles ſunt artes, & fraudes diaboli ad decipiendum hominem, quibus, ne fallatur, Exorciſta cautus eſſe debet.

Quare ſit memor Dominum noſtrum dixiſſe, genus eſſe dæmoniorum, quod non ejicitur, niſi per orationem & jejunium *Matth.* 17. hæc duo potiſſimum remedia ad impetrandum divinum auxilium, dæmonesque pellendos, exemplo Sanctorum Patrum, quoad ejus fieri poterit, tum per ſe, tum per alios curet adhiberi.

In

In Eccleſiam, ſi commode fieri poteſt, vel in alium religioſum & honeſtum locum ſeorſim a multitudine perductus energumenus exorcizetur, ſed ſi fuerit ægrotus, vel perſona nobilis, vel alia honeſta de cauſa in domo privata exorcizari poterit. Admoneatur obſeſſus, ſi mente & corpore valet, ut pro ſe oret Deum, ac jejunet, & ſacra Confeſſione & Communione ſæpius ad arbitrium Sacerdotis ſe communiat, & dum exorcizatur, totum ſe colligat, & ad Deum convertat; ac firma fide ſalutem ab eo depoſcat cum omni humilitate. Et cum vehementius vexatur, patienter ſuſtineat, nihil diffidens de auxilio Dei. Habeat præ manibus, vel in conſpectu Crucifixum. *Reliquiæ quoque Sanctorum*, ubi haberi poſſint, decenter, ac tuto colligatæ & coopertæ ad pectus, vel ad caput obſeſſi reverenter admoveantur; ſed caveatur, ne res ſacræ indigne tractentur, aut illis a dæmone ulla fiat injuria. Sanctiſſima vero Euchariſtia ſuper caput obſeſſi, aut aliter ejus corpori non admoveatur ob irreverentiæ periculum.

Exorciſta, ne vagetur in multiloquio, aut ſupervacaneis, vel curioſis interrogationibus, præſertim de rebus futuris & occultis ad ſuum munus non pertinentibus: ſed jubeat immundum ſpiritum tacere, & ad interrogata tantum reſpondere, neque ei credatur, ſi dæmon ſimularet ſe eſſe animam alicujus Sancti, vel defuncti, vel Angelum bonum.

Neceſſariæ vero interrogationes ſunt, ut de numero & nomine ſpirituum obſidentium, de tempore, quo ingreſſi ſunt, de cauſa, & aliis hujusmodi: Cæteras autem dæmonis nugas, riſus & ineptias Exorciſta cohibeat, aut contemnat, & circumſtantes, qui pauci eſſe debent, admoneat, ne hæc curent, neque ipſi interrogent obſeſſum: ſed potius humiliter, & enixe Deum pro eo precentur.

Exorciſmos vero faciat, ac legat cum imperio, & auctoritate, magna fide & humilitate, atque fervore: & cum viderit ſpiritum valde torqueri, tunc magis inſtet & urgeat;

& quoties viderit obſeſſum in aliqua corporis parte commoveri, aut pungi, aut tumorem alicubi apparere, ibi faciat ſignum Crucis, & aqua benedicta aſpergat, quam exorcizando in promptu habeat.

Obſervet etiam, ad quæ verba dæmones magis contremiſcant, & ea ſæpius repetat, & quando pervenerit ad comminationem, eam iterum, & ſæpius proferat, ſemper pœnam augendo, ac, ſi videat ſe proficere, in ipſa perſeveret per duas, tres, quatuor horas, & amplius, prout poterit, donec victoriam conſequatur.

Caveat proinde Exorciſta, ne ullam medicinam *infirmo*, vel obſeſſo præbeat, aut ſuadeat: ſed hanc curam medicis relinquat.

Mulierem Exorcizans, ſemper ſecum habeat honeſtas perſonas, quæ obſeſſam teneant, dum exagitatur a dæmonio, quæ quidem perſonæ ſint patienti, ſi fieri poteſt, cognatione proximæ; atque honeſtatis memor. Exorciſta caveat, ne quid dicat, vel faciat, quod ſibi, aut aliis occaſio eſſe poſſit pravæ cogitationis.

Dum exorcizat, utatur ſacræ Scripturæ verbis potius, quam ſuis, aut alienis. Jubeatque dæmonem dicere, an detineatur in illo corpore ob aliquam operam magicam, aut malefica ſigna, vel inſtrumenta, quæ, ſi obſeſſus ore ſumpſerit, evomat: vel ſi alibi extra corpus fuerint, ea revelet, & inventa comburantur: Moneatur etiam obſeſſus, ut tentationes ſuas omnes Exorciſtæ patefaciat.

Si vero obſeſſus liberatus fuerit, moneatur, ut diligenter ſibi caveat a peccatis, ne occaſionem dæmoni præbeat in ipſum revertendi, ne fiant noviſſima hominis illius pejora prioribus.

Itaque Sacerdos, ſive alius Exorciſta rite confeſſus, aut ſaltem corde peccata ſua deteſtans, peracto, ſi commode fieri poteſt, Sanctiſſimo Miſſæ Sacrificio, divinoque auxilio

piis

piis precibus implorato, ſuperpelliceo, & ſtola violacea, cujus extrema pars ad obſeſſi collum circumponatur indutus, & coram ſe habens obſeſſum ligatum. Si fuerit periculum, eum, ſe, & aſtantes communiat ſigno Crucis, & aſpergat aqua benedicta, & genibus flexis, aliis reſpondentibus, dicat Litanias ordinarias uſque ad preces excluſive.

In fine Antiphona. Ne reminiſcaris Domine delicta noſtra, vel parentum noſtrorum, neque vindictam ſumas de peccatis noſtris.

Pater noſter &c.

Verſ. Et ne nos inducas in tentationem.
Reſp. Sed libera nos a malo.

Pſalmus 53.

DEus in nomine tuo ſalvum me fac: & in virtute tua judica me.

Deus exaudi orationem meam: auribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni inſurrexerunt adverſum me, & fortes quæſierunt animam meam: & non propoſuerunt Deum ante conſpectum ſuum.

Ecce enim Deus adjuvat me: & Dominus ſuſceptor eſt animæ meæ.

Averte mala inimicis meis: & in veritate tua diſperde illos.

Voluntarie ſacrificabo tibi: & confitebor nomini tuo: Domine, quoniam bonum eſt.

Quoniam ex omni tribulatione eripuiſti me: & ſuper inimicos meos deſpexit oculus meus.

Gloria Patri & Filio &c.

Verſ. Salvum fac ſervum tuum.
Reſp. Deus meus ſperantem in te.
Verſ. Eſto ei Domine turris fortitudinis.
Reſp. A facie inimici.
Verſ. Nihil proficiat inimicus in eo.
Reſp. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
Verſ. Mitte ei Domine auxilium de ſancto.
Reſp. Et de Sion tuere eum.
Verſ. Domine exaudi orationem meam.
Reſp. Et clamor meus ad te veniat.
Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Deus, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere, ſuſcipe dedrecationem noſtram: ut hunc famulum tuum, vel famulam tuam, quem, vel quam delictorum catena conſtringit, miſeratio tuæ pietatis clementer abſolvat.

Oratio.

Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, Pater Domini noſtri JEſu Chriſti, qui illum refugam tyrannum, & Apoſtatam gehennæ ignibus deputaſti, quique unigenitum tuum in hunc mundum miſiſti, ut illum rugientem contereret, velociter attende, accelera, ut eripias hominem ad imaginem & ſimili-

militudinem tuam creatum, a ruina & dæmonio meridiano. Da Domine terrorem tuum ſuper beſtiam, quæ exterminat vineam tuam. Da fiduciam ſervis tuis contra nequiſſimum draconem pugnare fortiſſime, ne contemnat ſperantes in te, &, ne dicat, ſicut in Pharaone, qui jam dixit, Deum non novi, nec Iſrael dimitto. Urgeat illum dextera tua potens, diſcedere a famulo tuo, N. vel a famula tua, N. ✠ ne diutius præſumat captivum tenere, quem tu ad imaginem tuam facere dignatus es, & in filio tuo redemiſti; qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Reſp. Amen.

Deinde præcipiat dæmoni hunc in modum.

Præcipio tibi, quicunque es, ſpiritus immunde, & omnibus ſociis tuis hunc Dei famulum obſidentibus, ut per myſteria Incarnationis, Paſſionis, Reſurrectionis & Aſcenſionis Domini noſtri JEſu Chriſti, per miſſionem Spiritus ſancti, & per adventum ejusdem Domini noſtri ad judicium, dicas mihi nomen tuum, diem & horam exitus tui cum aliquo ſigno, & ut mihi Dei miniſtro, licet indigno, prorſus in omnibus obedias, neque hanc creaturam Dei, vel circumſtantes, aut eorum bona ullo modo offendas.

Tunc legantur ſuper obſeſſum hæc Evangelia, vel unum, aut alterum.

Lectio S. Evangelii ſecundum Joannem.

Hæc dicens ſignat ſe, & obſeſſum in fronte, ore & pectore.

In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt; in ipſo vita erat, & vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo miſſus a Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, ſed ut teſtimonium perhiberet de lumine, Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit. In propria venit, & ſui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus: qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Et Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis: & vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti a Patre, plenum gratiæ & veritatis.

Lectio

Lectio S. Evangelii ſecundum Marcum.

In illo tempore: dixit JEſus diſcipulis ſuis. Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit ſalvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur; in nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, ſerpentes tollent: & ſi mortiferum quid biberint, non eis *nocebit*; ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt.

Lectio S. Evangelii ſecundum Lucam.

In illo tempore: Reverſi ſunt ſeptuaginta duo cum gaudio dicentes ad JEſum; Domine, etiam dæmonia ſubjiciuntur nobis in nomine tuo? Et ait illis, videbam ſatanam ſicut fulgur de cœlo cadentem. Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit; verumtamen in hoc nolite gaudere, quia ſpiritus vobis ſubjiciuntur, gaudete autem, quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis.

Lectio S. Evangelii ſecundum Lucam.

In illo tempore: Erat JEſus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum: & cum ejeciſſet dæmonium, locutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ. Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmonio-

moniorum ejicit dæmonia: & alii tentantes, ſignum de cœlo quærebant ab eo. Ipſe autem, ut vidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in ſe ipſum diviſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet. Si autem & Satanas in ſeipſum diviſus eſt, quomodo ſtabit regnum ejus? quia dicitis in Beelzebub me ejicere dæmonia. Si autem ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii veſtri, in quo ejiciunt? ideo ipſi judices veſtri erunt. Porro ſi in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei. Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea, quæ poſſidet: Si autem fortior eo ſuperveniens vicerit eum, univerſa arma ejus auferet, in quibus confidebat, & ſpolia ejus diſtribuet.

℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens Domine, Verbum Dei Patris, Chriſte JEſu, Deus & Dominus univerſæ creaturæ, qui ſanctis Apoſtolis tuis dediſti poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, qui inter cætera mirabilium tuorum præcepta dignatus es dicere: dæmones effugate; cujus virtute motus tanquam fulgur de cœlo ſatanas cecidit: tuum ſanctum nomen cum timore & tremore ſuppliciter deprecor: ut indigniſſimo

mihi

mihi ſervo tuo, data venia omnium delictorum meorum, conſtantem fidem, & poteſtatem donare digneris; ut hunc crudelem dæmonem, brachii tui ſancti munitus potentia, fidenter & ſecurus aggrediar, per te JEſu Chriſte Domine Deus noſter, qui venturus es judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem.
Reſp. Amen.

Deinde muniens ſe & obſeſſum ſigno Crucis, circumpoſita parte ſtolæ ad collum ejus, & dextera manu ſua capiti ejus impoſita, conſtanter & magna cum fide dicat ea, quæ ſequuntur.

Verſ. Ecce Crucem Domini, fugite partes adverſæ.
Reſp. Vicit leo de tribu Juda, radix David.
Verſ. Domine exaudi Orationem meam.
Reſp. Et clamor meus ad te veniat.
Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Deus & Pater Domini noſtri JEſu Chriſti, invoco nomen ſanctum tuum, & clementiam tuam ſupplex expoſco, ut adverſus hunc, & omnem immundum ſpiritum, qui vexat hoc plasma, mihi auxilium præſtare digneris. Per eundem Dominum noſtrum JEſum Chriſtum filium tuum: qui tecum vivit, &c.
Reſp. Amen.

Exorciſmus.

Exorcizo, te immundiſſime ſpiritus, omnis incurſio adverſarii, omne phantaſma, omnis legio, in nomine

mine Domini noſtri JEſu Chriſti ✠ eradicare, & effugare ab hoc plasmate Dei. ✠ Ipſe tibi imperat, qui te de ſupernis cœlorum in inferiora terræ demergi præcepit. Ipſe tibi imperat, qui mari, ventis & tempeſtatibus imperavit. Audi ergo & time ſatana, inimice fidei, hoſtis generis humani, mortis adductor, vitæ raptor, juſtitiæ declinator, malorum radix, fomes vitiorum, ſeductor hominum, proditor gentium, incitator invidiæ, origo avaritiæ, cauſa diſcordiæ, excitator dolorum; quid ſtas & reſiſtis, cum ſcias, Chriſtum Dominum vires tuas perdere? Illum metue, qui in Iſaac immolatus eſt, In Joſeph venundatus, in agno occiſus, in homine crucifixus, deinde inferni triumphator fuit.

Sequentes Cruces fiant in fronte obſeſſi.

Recede ergo in nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritus ✠ ſancti, da locum Spiritui ſancto, per hoc ſignum Cru✠cis JEſu Chriſti Domini noſtri. Qui cum Patre & eodem Spiritu ſancto vivit & regnat Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Reſp. Amen.

Verſ. Domine exaudi orationem meam.
Reſp. Et clamor meus ad te veniat.
Verſ. Dominus vobiſcum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

DEus, conditor & defenſor generis humani, qui hominem ad imaginem tuam formaſti; reſpice ſuper

ſuper hunc famulum tuum N. vel hanc famulam tuam N. qui, vel quæ dolis immundi ſpiritus appetitur, quem vetus adverſarius, antiquus hoſtis terræ, formidinis horror circumvolat, & ſenſum mentis humanæ ſtupore defigit, terrore conturbat, & metu trepidi timoris exagitat. Repelle Domine virtutem diaboli, fallacesque ejus inſidias amove: procul impius tentator aufugiat, ſit nominis tui ſigno ✠ (in fronte) famulus tuus munitus, & in anima tutus & corpore.

Tres Cruces ſequentes fiant in pectore dæmoniaci.

Tu pectoris ✠ hujus interna cuſtodias. Tu viſcera ✠ regas. Tu ✠ cor confirmes. In anima adverſatricis poteſtatis tentamenta evaneſcant. Da Domine ad hanc invocationem ſanctiſſimi nominis tui gratiam, ut qui hucusque terrebat, territus aufugiat, & victus abſcedat, tibique poſſit hic famulus tuus, & corde firmatus, & mente ſincerus debitum præbere famulatum. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum Filium tuum &c.

Exorciſmus.

Adjuro te ſerpens antique, per judicem vivorum & mortuorum, per factorem tuum, per factorem mundi, per eum, qui habet poteſtatem mittendi te in gehennam, ut ab hoc famulo Dei N. qui ad Eccleſiæ

ſinum recurrit, cum metu & exercitu furoris tui feſtinus diſcedas. Adjuro te iterum, ✠ (in fronte) non mea infirmitate, ſed virtute Spiritus ſancti, ut exeas ab hoc famulo Dei N. quem omnipotens Deus ad imaginem ſuam fecit. Cede igitur, cede non mihi, ſed miniſtro Chriſti. Illius enim te urget poteſtas, qui te Cruci ſuæ ſubjugavit. Illius brachium contremiſce, qui devictis gemitibus inferni, animas ad lucem perduxit. Sit tibi terror corpus hominis ✠ (in pectore) ſit tibi formido imago Dei ✠ (in fronte) Non reſiſtas, nec moreris diſcedere ab homine iſto, quoniam complacuit Criſto in homine habitare. Et ne contemnendum putes, dum me peccatorem nimis eſſe cognoſcis. Imperat tibi Deus, ✠ imperat tibi Majeſtas Chriſti, ✠ imperat tibi Deus Pater, ✠ imperat tibi Deus Filius, ✠ imperat tibi Deus Spiritus ſanctus, ✠ imperat tibi Sacramentum Crucis, ✠ imperat tibi fides ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & cæterorum Sanctorum, ✠ imperat tibi Martyrum ſanguis, ✠ imperat tibi continentia Confeſſorum, ✠ imperat tibi pia Sanctorum & Sanctarum omnium interceſſio, ✠ imperat tibi Chriſtianæ fidei myſteriorum virtus. ✠ Exi ergo transgreſſor. Exi ſeductor plene omni dolo & fallacia, virtutis inimice, innocentium perſecutor. Da locum diriſſime: da locum impiiſſime: da locum Chriſto, in quo nihil inveniſti de operibus tuis, qui te ſpoliavit, qui regnum

tuum

tuum deſtruxit, qui te victum ligavit, & vaſa tua diripuit, qui te projecit in tenebras exteriores, ubi tibi cum miniſtris tuis erit præparatus interitus. Sed quid truculente retineris? quid temerarie detrectas? Reus es omnipotenti Deo, cujus ſtatuta transgreſſus es. Reus es filio ejus JEſu Chriſto Domino noſtro, quem tentare auſus es, & crucifigere præſumpſiſti. Reus es humano generi, cui tuis perſuaſionibus mortis venenum propinaſti. Adjuro ergo te, draco nequiſſime, in nomine Agni ✠ immaculati, qui ambulavit ſuper aſpidem & baſiliscum, qui conculcavit leonem & draconem, ut diſcedas ab hoc homine, ✠ (fiat in fronte) diſcedas ab Eccleſia Dei, ✠ (fiat ſignum crucis ſuper circumſtantes) contremiſce & effuge invocato nomine Domini illius, quem inferi tremunt, cui virtutes cœlorum, & Poteſtates, & Dominationes ſubjectæ ſunt, quem Cherubim & Seraphim indefeſſis vocibus laudant dicentes: Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus Sabaoth. Imperat tibi Verbum ✠ caro factum. Imperat tibi natus ✠ ex Virgine. Imperat tibi JESUS ✠ Nazarenus, qui te, cum diſcipulos ejus contemneres, eliſum atque proſtratum exire præcepit ab homine, quo præſente, cum te ab homine ſeparaſſet, nec porcorum gregem ingredi præſumebas. Recede ergo nunc adjuratus in nomine ✠ ejus ab homine, quem ipſe plaſmavit. Durum eſt tibi velle reſiſtere. ✠ Durum eſt tibi contra

ſtimulum calcitrare. ✠ Quia quanto tardius exis, tanto magis tibi ſupplicium creſcit; quia non homines contemnis, ſed illum, qui dominator vivorum & mortuorum, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. Reſp. Amen.

Verſ. Domine exaudi orationem meam.
Reſp. Et clamor meus ad te veniat.
Verſ. Dominus vobiscum.
Reſp. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Deus cœli, Deus terræ, Deus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Prophetarum, Deus Apoſtolorum, Deus Martyrum, Deus Virginum, Deus, qui poteſtatem habes donare vitam poſt mortem, requiem poſt laborem, quia non eſt alius Deus præter te, nec eſſe poterit verus, niſi tu Creator cœli & terræ, qui verus Rex es, & cujus Regni non erit finis: humiliter majeſtati gloriæ tuæ ſupplico, ut hunc famulum tuum de immundis ſpiritibus liberare digneris. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Exorciſmus.

Adjuro ergo te omnis immundiſſime ſpiritus, omne phantaſma, omnis incurſio ſatanæ, in nomine JEſu Chriſti, ✠ Nazareni, qui poſt lavacrum Jordanis in deſertum ductus eſt, & te in ſuis ſedibus vicit, ut, quem ille de limo terræ ad honorem gloriæ ſuæ

forma-

formavit, tu deſinas impugnare, & in homine miſerabili non humanam fragilitatem, ſed imaginem omnipotentis Dei contremiſcas. Cede ergo Deo, ✠ qui te, & malitiam tuam in Pharaone, & in exercitu ejus per Moyſem ſervum ſuum in abyſſum demerſit Cede Deo, ✠ qui te per fideliſſimum ſervum ſuum David de Rege Saule ſpiritualibus canticis pulſum fugavit. Cede Deo, ✠ qui te in Juda Iſcariote proditore damnavit. Ille enim te divinis ✠ verberibus tangit, in cujus conſpectu cum tuis legionibus tremens & clamans dixiſti: Quid nobis, & tibi JEſu Fili Dei Altiſſimi? Veniſti huc ante tempus torquere nos? Ille te perpetuis flammis urget, qui in fine temporum dicturus eſt impiis: diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus. Tibi enim impie, & angelis tuis vermes erunt, qui nunquam morientur. Tibi & angelis tuis inextinguibile præparatur incendium, quia tu es princeps maledicti homicidii; tu auctor inceſtus, tu ſacrilegorum caput, tu actionum peſſimarum magiſter, tu hæreticorum doctor, tu totius obſcœnitatis inventor. Exi ergo ✠ impie, exi ✠ ſcelerate. Exi cum omni fallacia tua, quia hominem templum ſuum eſſe voluit Deus. Sed quid diutius moraris hic? Da honorem Deo Patri omnipotenti, ✠ cui omne genu flectitur. Da locum Domino JEſu Chriſto, ✠ qui pro homine ſanguinem ſuum ſacratiſſimum fudit. Da locum Spi-

ritui ✠ ſancto, qui per B. Apoſtolum ſuum Petrum te manifeſte ſtravit in Simone mago; qui fallacium tuam in Anania & Saphira condemnavit: qui te in Herode Rege honorem Deo non dante percuſſit: qui te in mago Elyma per Apoſtolum ſuum Paulum cæcitatis caligine perdidit, & per eundem de Pythoniſſa verbo imperans exire præcepit. Diſcede ergo nunc, ✠ diſcede ✠ ſeductor. Tibi eremus ſedes eſt. Tibi habitatio ſerpens eſt; humiliare & proſternere. Jam non eſt differendi tempus. Ecce enim Dominator Dominus proximat cito, & ignis ardebit ante ipſum, & præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus. Si enim hominem fefelleris, Deum non poteris irridere. Ille te ejicis, cujus oculis nihil occultum eſt. Ille te expellit, cujus virtuti univerſa ſubjecta ſunt. Ille te excludit, qui tibi & angelis tuis præparavit æternam gehennam, de cujus ore exibit gladius acutus; qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. Reſp. Amen.

Prædicta omnia, quatenus opus fuerit, repeti poſſunt donec obſeſſus ſit omnino liberatus.

Juvabit præterea plurimum hæc, quæ infra notantur, ſuper obſeſſum devote dicere, ſæpeque repetere. Pater noſter &c. Ave Maria &c. Credo in Deum &c.

Cantic. B. M. V. Luc. 1. Magnificat anima mea &c.
Cantic. Zachar. Luc. 1. Benedictus Dominus &c.
Symbol. S. Athanaſ. Quicunque vult ſalvus eſſe &c.
Pſalmus 90. Qui habitat in adjutorio &c.

Pſal-

Pſalmus 67. Exurgat Deus, & diſſipentur &c.
Pſalmus 69. Deus in adjutorium meum &c.
Pſalmus 59. Deus in nomine tuo ſalvum &c.
Pſalmus 117. Confitemini Domino &c.
Pſalmus 34. Judica Domine nocentes me &c.
Pſalmus 30. In te Domine ſperavi &c.
Pſalmus 21. Deus Deus meus, reſpice in me &c.
Pſalmus 3. Domine quid multiplicati ſunt &c.
Pſalmus 10. In Domino confido. quomodo &c.
Pſalmus 12. Uſquequo Domine obliviſceris &c.

Oratio poſt liberationem.

Oramus te Deus omnipotens, ut ſpiritus iniquitatis amplius non habeat poteſtatem in hoc famulo tuo N. vel famula tua N. ſed, ut fugiat, & non revertatur. Ingrediatur in eum, vel in eam, Domine, te jubente, bonitas, & pax Domini noſtri JEſu Chriſti, per quem redempti ſumus, & ab omni malo non timemus, quia Dominus nobiscum eſt. Qui vivit & regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Reſp. Amen.

De iis, quæ Parochi præ manibus habere debent, vel ex laudabili conſuetudine a fidelibus deſiderari ſolent.

INTRODUCTIO NOVI PLEBANI, SEU BENEFICIATI.

Executor requiſitus a Plebano, ſeu Beneficiato, vigore tituli ſui, viſis authenticis & originalibus literis, Inveſtituræ,

ræ, ſeu proviſionis illius, curet convocari Clerum & populum pro teſtimonio per pulſum campanæ majoris. Et intronizandus indutus ſuperpelliceo & ſtola, flectat genua ante fores Eccleſiæ, introducens ipſum ſimiliter indutus, & genuflectens dicat:

Verſ. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
Reſp. Qui fecit cœlum & terram.

Et oret cum ipſo Pſalmum: Miſerere mei Deus, quilibet ſuum verſum, ut Part. II. pag. 82. Finito Pſalmo dicant ſimul:

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter.

Et ſurgens Introducens dicat:

Verſ. Et ne nos inducas in tentationem.
Reſp. Sed libera nos a malo.
Verſ. Sacerdotes tui induantur juſtitiam.
Reſp. Et Sancti tui exultent.
Verſ. Salvum fac ſervum tuum.
Reſp. Deus meus ſperantem in te.
Verſ. Deus cuſtodiat introitum tuum.
Reſp. Ex hoc nunc & uſque in ſæculum.

Oremus.

Prætende Domine famulo tuo dexteram cœleſtis auxilii: ut te toto corde perquirat, & quæ digne poſtulat, conſequi mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Reſp. Amen.

Poſtea tradat ei claves Eccleſiæ, dicens:

Accipe has claves, ut iisdem aperias, ac claudas, quibus & quando oportet; in nomine Domini.

Aperto

Aperto poſthac per eum oſtio, inducat eum porrecta ei ſtola, Executor dicens:

Ingredere in domum Dei, cujus pietate ad miniſterium ipſius vocatus es; ut cum grege tibi credito, vitam ingredi merearis ſempiternam. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Et aſpergat eum aqua benedicta.

Deinde præcedente Clero, qui hactenus intra Eccleſiam ad fores præſtolabatur, vadunt ad ſummum Altare, ubi ambo flectunt, factaque brevi oratione Executor ſedem in ſuperiori gradu altaris præparatam occupat, legique facit elata voce Inveſtituram Neo-beneficiati, a quo deinde coram ſe flectente Profeſſionem fidei ut infra fol. 292. eatenus recipit, ut verbis illius finalibus: quantum in me erit curaturum ſuper addatur ſequens Juramenti notula.

Meque Reverendiſſimo Domino noſtro N. Epiſcopo N. debitam obedientiam & reverentiam præſtiturum, nec bona Eccleſiæ mihi concreditæ, ſeu Eccleſiarum mihi concreditarum alienaturum, quin immo alienata pro poſſe recuperaturum. Ego idem N. ſpondeo, voveo ac juro, ſic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.

Mox Executor ſurgit, & ſtans intronizando modicum inclinato ad Altare, tangentique ambabus manibus ipſum Altare, in medio tradat Poſſeſſionem, dicens:

Authoritate & mandato Domini noſtri Reverendiſſimi N. Epiſcopi N. mitto te in corporalem & actualem hujus Eccleſiæ poſſeſſionem, conſtituens te Rectorem ejus, in ſpiritualibus & temporalibus, ac

curam animarum illius tibi committens, quam ita administrabis in animam tuam; ut in die judicii, Deo rationem administrationis tuæ reddere valeas. Et propterea tibi de ipſius fructibus & obventionibus ab his, quorum intereſt, reſponderi jubeo: In nomine Patris, & Filii, & ✠ Spiritus ſancti. Amen.

Quo peracto, intronizatus facto ſigno crucis in medio Altaris, exoſculetur illud, & ſi adeſt Clerus, cantetur Antiphona de Patrono Eccleſiæ, cum verſu & collecta, quam novus Rector dicat. His peractis, pulſentur omnes campanæ, & decantetur Te Deum laudamus. Demum Executor, aut alius quispiam ad hoc indoneus, commendet eum populo & jubeat, ut illi tanquam Rectori de cætero obediant; & de omnibus proventibus & juribus, integre reſpondeant. Si vero authoritate Papæ poſſeſſio danda eſt, dicatur:

Authoritate & mandato ſanctiſſimi Domini noſtri N. Papæ, mitto te in corporalem &c.

Poſtremo de Eccleſia intrando domum Plebani, dicat Executor.

Verſ. Pax huic domui.

Reſp. Et omnibus habitantibus in ea.

Oremus.

Viſita quæſumus Domine habitationem iſtam, & omnes inſidias inimici ab ea longe repelle: Angeli tui ſancti habitent in ea, qui nos in pace cuſtodiant: & benedictio tua ſit ſuper nos ſemper. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

In ſimplicibus vero beneficiis, utpote Vicariis & Altariſtis ac cæteris, Executor, ut ſupra & inducendus, ſuperpelli-

ceo

ceo induti coram Notario (ſi haberi poſſit) & teſtibus ad hoc rogatis, & præſentibus aliquibus ejus Eccleſiæ beneficiatis, ſi qui ſint, vadunt ad Altare beneficii, ubi genua flectunt, factaque brevi oratione, Executor tradat poſſeſſionem Beneficiato, dicens:

Authoritate & mandato Domini noſtri Reverendiſſimi Epiſcopi N. mitto te in corporalem & actualem hujus Vicariæ (Altaris) Sancti N. poſſeſſionem, committens tibi adminiſtrationem ſpiritualem & temporalem illius, cujus adminiſtrationis rationem in die judicii te *Domino* redditurum ſcias. Jubeo præterea tibi de ipſius fructibus & obventionibus, ab his, quorum intereſt, reſponderi. In nomine Patris, & Fi✠lii, & Spiritus ſancti. Amen.

Quo peracto, intronizatus facto ſigno Crucis in medio Altaris, exoſculetur illud; poſtremo Executor aſpergat eum aqua benedicta.

DE PROFESSIONE FIDEI CATHOLICÆ.

Fidei Profeſſio facienda eſt ex Decretis Conc. Trid. Sed. 24. de refor. cap. 12. ab omnibus proviſis de Canonicatibus & dignitatibus in Eccleſia Cathedrali.

Item ab omnibus proviſis de beneficiis cum cura animarum, etiam Regularibus, etiamſi alias alio titulo illam fecerint, ex declaratione S. Congreg.

Item ex Conſt. 88. Pii IV. In ſacroſancta ab omnibus promotis & promovendis ad gradus, vel lecturas liberalium artium, & comprehenduntur Ludimagiſtri, ex declar. S. Congr.

Item a Regularibus proviſis de Monaſteriis, Conventibus, ac domibus, quocunque titulo nominentur, etiam ordinum militantium, ex eodem Pio IV. Conſt. 89. Injuncti nobis.

Fieri autem debet in manibus Ordinarii, aut ejus Vicarii.

FORMA PROFESSIONIS FIDEI a Pio IV. Decreta.

Ego N. firma fide credo & profiteor omnia & ſingula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo ſancta & Romana Eccleſia utitur, videlicet: Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem Cœli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium. Et in unum Dominum JEſum Chriſtum, Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia ſæcula. Deum de Deo, lumen de lumine: Deum verum, de Deo vero: Genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis. Et incarnatus eſt de Spiritu ſancto, ex Maria Virgine: Et homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die, ſecundum ſcripturas. Et aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus eſt cum gloria, judicare vivos & mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum ſanctum Dominum & vivificantem. Qui ex Patre Filioque pro-

procedit; qui cum Patre & Filio ſimul adoratur & conglorificatur; qui locutus eſt per Prophetas. Et unam ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum, & expecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſæculi. Amen.

Apoſtolicas & Eccleſiaſticas traditiones, reliquasque ejusdem Eccleſiæ obſervationes & conſtitutiones, *firmiſſime* admitto & amplector.

Item ſacram Scripturam juxta eum ſenſum, quem tenuit & tenet ſancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione ſacrarum ſcripturarum admitto; nec eam unquam, niſi juxta unanimen conſenſum Patrum, accipiam & interpretabor.

Profiteor quoque ſeptem eſſe vere & proprie Sacramenta novæ legis a JEſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis, neceſſaria, ſcilicet: Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, extremam Unctionem, Ordinem & Matrimonium, illaque gratiam conferre: & ex his Baptiſmum, Confirmationem & Ordinem ſine ſacrilegio iterari non poſſe.

Receptos quoque, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus, in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione, recipio & admitto.

Omnia & ſingula, quæ de peccato originali & de

juſtificatione in ſacroſancta Tridentina Synodo definita & declarata fuerunt, amplector & recipio.

Profiteor pariter in Miſſa offerri Deo verum, proprium & propitiatorium Sacrificium pro vivis & defunctis, atque in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe vere realiter & ſubſtantialiter Corpus & Sanguinem una cum anima, & divinitate Domini noſtri JEſu Chriſti; fierique converſionem totius ſubſtantiæ panis, in corpus; & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem; quam converſionem *Catholica Eccleſia* tranſubſtantiationem appellat.

Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie totum atque integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi.

Conſtanter teneo purgatorium eſſe, animasque ibi detentas fidelium ſuffragiis juvari: ſimiliter & ſanctos una cum Chriſto regnantes, venerandos, atque invocandos eſſe, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias eſſe venerandas.

Firmiſſime aſſero imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, nec non aliorum Sanctorum, habendas & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem & venerationem impertiendam.

Indulgentiarum etiam poteſtatem a Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumque uſum Chriſtiano populo maxime ſalutarem eſſe affirmo.

San-

Sanctam Catholicam & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum Matrem & Magiſtram agnoſco, Romanoque Pontifici, B. Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori, ac JEſu Chriſti Vicario, veram obedientiam ſpondeo ac juro.

Cætera item omnia a ſacris Canonibus & Oecumenicis Conciliis, ac præcipue a ſacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita & declarata indubitanter recipio, atque profiteor, ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quascunque ab Eccleſia damnatas, rejectas & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio & anathematizo.

Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, ac veraciter teneo, eandem integram & inviolatam uſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſime (Deo adjuvante) retinere & confiteri, atque a meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri & prædicari, quantum in me erit, curaturum: Ego idem N. ſpondeo, voveo ac juro, ſic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.

In principio erat Verbum, & Verbum erat apud DEum, & Deus erat Verbum. Joan. Cap. 1.

FOR-

FORMA PROFESSIONIS FIDEI
in lingua germanica.

Ich N. glaube fest, und bekenne alles und jedes, was in dem allgemeinen Glauben enthalten ist, den die heilige römische Kirche gebrauchet, nehmlich: Ich glaube an einen Gott Vater, allmächtigen Schöpfer Himmels und der Erde, aller sichtbaren und unsichtbaren Dinge, und an einen HErrn JEsum Christum, den eingebohrnen Sohn Gottes, aus dem Vater von Ewigkeit gebohren, GOtt von GOtt, Licht von Licht, einen wahren GOtt vom wahren GOtt, gebohren und nicht erschaffen, gleicher Wesenheit mit dem Vater, durch welchen alle Dinge gemacht sind. Der um uns Menschen und um unsers Heils willen von dem Himmel gestiegen ist, durch den heiligen Geist aus Maria der Jungfrau Fleisch an sich genommen hat, und Mensch geworden ist. Er ist auch für uns unter Pontio Pilato gekreuziget worden, hat gelitten und ist begraben, und am dritten Tage, laut der heiligen Schrift, wiederum auferstanden. Er ist gen Himmel aufgefahren, sitzet zur rechten Hand des Vaters, und wird wieder kommen mit Herrlichkeit zu richten die Lebendigen und die Todten, dessen Reich kein Ende haben wird.

Ich glaube auch an den heiligen Geist, einen HErrn und Lebendigmacher, der vom Vater und dem Sohne ausgehet,

gehet, der mit dem Vater und dem Sohne zugleich angebethet und geehret wird, der durch die Propheten geredet hat. Ich glaube auch eine heilige Catholiſche und Apoſtoliſche Kirche. Ich bekenne eine Taufe zur Vergebung der Sünden, und erwarte die Auferſtehung der Todten, und ein Leben der künftigen Zeit. Amen.

Ich laſſe für gewiß zu, und nehme an die Apoſtoliſchen und geiſtlichen Satzungen, ſamt allen andern Gebräuchen und Ordnungen der Kirche.

Auch laſſe ich zu die heilige Schrift in dem Verſtande, den die heilige Mutter die Kirche bishero gehalten und noch hält, als welcher zukommt, von dem wahren Verſtande und Auslegung der heiligen Schrift zu urtheilen. Ich will auch bemeldte Schrift niemahls anders, als nach dem einhelligen Verſtande der Väter verſtehen und auslegen.

Ich bekenne auch, daß wahrhaftig und eigentlich ſieben Sacramente des neuen Geſetzes von JEſu Chriſto unſerm HErrn eingeſetzet, und zur Seeligkeit des menſchlichen Geſchlechts, wiewohl nicht alle einem jeden Menſchen, nothwendig ſind, als die Taufe, die Firmung, das Sacrament des Altars, die Buße, die letzte Oehlung, die Prieſter-Weyhe und die Ehe, und daß dieſe Sacramente dem Menſchen Gnade mittheilen, aus welchen die Taufe, die Firmung und die Prieſter-Weyhe ohne Gotteslästerung nicht mögen wiederholet werden.

Ich nehme auch an, und laſſe zu alle gewöhnliche

und bewährte Gebräuche der Catholiſchen Kirche, welche ſie in öffentlicher Verwaltung aller obgemeldten Sacramente gebrauchet.

Auch nehme ich auf und an alles ſämtlich und ſonderlich, was von der Erbſünde und Rechtfertigung des Sünders in dem heiligen allgemeinen Kirchenrathe zu Trient beſchloſſen und erkläret worden.

Desgleichen bekenne ich, daß in der heiligen Meſſe GOtt ein wahres und eigentliches Verſöhnopfer für die Lebendigen und die Todten aufgeopfert werde, und daß in allerheiligſten Sacrament des Altars ſey wahrhaftig, leiblich und weſentlich der Leib und das Blut zugleich mit Seele und Gottheit unſers HErrn JEſu Chriſti, und daß die ganze Weſenheit des Brodts in den Leib, und die ganze Weſenheit des Weins in das Blut Chriſti verwandelt werde, welche Verwandlung die Catholiſche Kirche Tranſſubſtantiationem nennet, das iſt: Verwandlung einer Subſtanz in die andere.

Ich bekenne auch, daß unter einer jeden Geſtalt allein der ganze unzertheilte Chriſtus, und das wahre Sacrament ſeines Fronleichnams genoſſen und empfangen werde.

Ich halte beſtändig dafür, daß ein Fegfeuer ſey, und daß denen Chriſtgläubigen Seelen, die allda aufgehalten werden, durch Fürbitte, Allmoſen und andere gottſelige Werke der Gläubigen geholfen werde. Ingleichen, daß man die Heiligen, welche zugleich mit Chriſto regieren,

ehren

ehren und anruffen solle, und daß sie Gott für uns bitten, auch daß ihre Heiligthümer oder Reliquien in Ehren zu halten sind.

Ich sage für gewiß, daß die Bildniße Christi und der allzeit seligen Gottes-Gebährerin und Jungfrau Mariä, nicht weniger anderer Heiligen zu haben, und zu behalten seyn, und daß man ihnen gebührende Ehre und Reverenz erzeigen solle.

Ich gestehe zu, daß Christus in der Kirche die Gewalt des Ablasses gelassen habe, und daß dessen Gebrauch dem Christlichen Volke höchst nützlich und heilsam sey.

Ich erkenne die heilige Catholische und Apostolisch-Römische Kirche für eine Mutter und Meisterin aller Kirchen; ich verheisse und gelobe wahren Gehorsam dem Römischen Bischof, als einem Nachkömmlinge des heiligen Petri des Apostel-Fürsten und einem Statthalter JEsu Christi.

Ich nehme auch ungezweifelt an, und bekenne alle andere Stücke, die von denen heiligen Rechten und allgemeinen Kirchen-Versammlungen, und insonderheit von dem Kirchen-Rath zu Trient verordnet, beschlossen und erkläret worden; hingegen aber verdamme, verwerfe und verfluche ich alle Irrthümer und Ketzereyen, die von der Kirche verdammt, verworfen und verfluchet sind.

Diesen wahren Catholischen Glauben, außer welchem niemand seelig werden kann, den ich allhier zugegen freywillig bekenne und wahrhaftig halte, denselben will

ich mit GOttes Hülfe bis an mein letztes Ende ganz unverletzt und beständig halten und bekennen. Ich will auch so viel mir möglich, allen Fleiß anwenden, damit dieser Glaube von meinen Untergebenen, oder von denjenigen, deren Obsorge mir anvertrauet seyn wird, gehalten, gelehret und verkündiget werde. Das verheiße, gelobe und schwöre ich N. so wahr mir GOtt helfe, und diese heilige GOttes-Evangelien.

Im Anfang war das Wort, und das Wort war bey GOtt, und GOtt war das Wort ꝛc. Joan. 1. C.

Spoſob wyznánia Wiáry od Piusá IV.

poſtánowiony.

Ja N. mocno wierzę, y wyznawąm wszytko, y każdą rzecż zoſobna, ktora się zamyka wskładzie wiary, ktorego Swięty y Rzymski Kosciol używa, a mianowicie, wierzę w iednego Boga, oyca wſzechmogącego, Stworzyciela niebá. y ziemie, widomych wſzytkich, y niewidomich rzeczy. Y w iednego Páná JEzusá Chriſtusá ſynà Bozego iednorodzonego. Y z Oyca przed wſzytkiemi wieki urodzonego, Boga z Boga, ſwiatlość z ſwiatlośći; Boga prawdziwego z Boga prawdziwego, urodzonego, nieſtworzonego, ſpoliſtotnego Oycu, przeſz ktorego wſzyſtkie rzeczy ſprawione ſą. Ktory dla nas ludzi, y dla naſzego zba-

wienia

wienia z nieba zſtąpił. Y wćielił się z Ducha Swięte-
go z Maryey Panny. Y ſtał się człowieckiem. U krzy-
zowan też dla nas pod Pontskim Pilatem, umęczony,
y pogrzebiony ieſt. Y wſtał zmartwych trzeciego
dnia wedlug Piſmá. Y wſtąpił na Niebioſa, siedzi na
prawicy Oycowskiey. Y po wtore ma przyiść z chwa-
lą ſądzic zywe y umarle, ktorego kroleſtwo konca
miec nie będzie. Wierzę y w Ducha Swiętego Pa-
na ozywiaiącego, ktorz od Oyca y od Syna pochodzi.
Ktory z Oycem z Synem ſpolecznie bywa chwalon,
y ſpolecznie wielbion, ktory mowił prez Proroki.
Wierzę wieden Swięty, powſzechny, Apoſtolſki Kos-
ciol. Wyznawam ieden Chrzeſt na odpuſzczenie
grzechow, y czekam zmartwychwſtania umartich, y
zywota przyſzłego wieku. Amen.

Apoſtolſkie, y Koscielne podania, y inſze tegoſz
Kosciola porządki, y vſtawy mocno przypuſzczam,
y przymuię.

Takze Piſmo Swięte, wedlug tego rozumienia,
iaki trzymała, y trzyma Swięta Matka Kosciol Bozy,
ktoremu należy ſądzic o prawdziwym rozumieniu
Piſma Swiętego, przipuszczam, ani go nigdy, tylko
wedlug iednoſtayney zgody Oicow Swiętych brac y
tłumaczyc będę.

Wyznawam takze siedem bydz prawdziwie, y
wiasnie Sakramentow Nowego Zakonu od JEſuſa
Chriſtuſa Pana neſzego poſtanowionych, y dla zba-

wienia ludzkiego Narodu, lubo nie wſzyſtkie każdemu potrzebne, zwłaſzcza Chrzeſt, Bierzmowanie, Sakrament, Pokutę, Oſtatnie Pamazanie, Kaplanſtwo, y Malzenſtwo, y ze te laſke daia: y z tych Chrzeſt, Bierzmowanie, y Stan Duchowny, bez Swiętokractwa powtarzac się niemoze.

Przyięte takzey potwierdzone Kosciola Bozego Kotholickiego obrzedy w zwyzpomienionych Sakramentow wſzyſtkich, w zwyczaynym ſprawowaniu przymuię, y przypuſczam wſzyſtko, y rzecz każda z oſobna, ktora o grzechu pierworodnym, o uſprawiedliwieniu, na Swiętym Trydenskim Synodzie opiſana, y obiaſniona ieſt, przymuię, y przypuſczam.

Zeznawam poſpolu ze we Mszey ofiaruie się prawdziwa, y wlaſna blagalna ofiara za żywych y umarlych, y że w naswiętſzym Eucharyſtyey Sakramencie ieſt prawdziwie, rzeciwiscie, y iſtotnie Cialo, y krew oraz zduſza, y boſtwem Pana neſzego JEzuſa Chryſtuſa: y ze obraca się wſzytkiego iſtność chleba w Ciało, a wſzytkiego iſtność wina w krew, ktore to obrocenie Katholicki Kosciol Przeiſtoczeniem mianuie.

Przyznawam teſz, ze się pod iedną tylko oſobą chleba, caly, y zupelny Chryſtus, y prawdziwy Sakrament bierze.

Stateczńie trzymam, ze Czysciec ieſt, y ze duſze tam zatrzymane wiernych pomocą ratowane bywaią. Przytem wyznawam, iz Swięci z Chryſtuſem Panem Krolu-

Krolujący czczeni y wzywani bydz mają, a oni ze Modlitwy za nas Panu Pogu ofiruią, y że ich Reliquiom uczciwuść wyrzadzac trzeba.

Mocno twierdzę, y ze obrazy Chryſtuſa Pana, y Bogarodzice Zawſze Panny, takze inſzych Swiętych miane, chowane, y yczczone bydź maią, z ze im ſłuſzna część, y powinność nalezy.

Odpuſtow takze moc od Chryſtuſa w Kosciele zoſtawiona, a ich używanie Chrzescianskiemu Ludowi wielce pożyteczne, y zbawienne bydz, twierzę.

Swięty Katholicki, y Apoſtolſki Rzymſki Kosciol wſzytkich Kosciolow Matkę y Miſtrzynia Vznawam, a Rzymſkiemu Biskupowi Swiętego Piotra Apoſtolow Kziązęcia Naſtępce, a Paná JEzuſa Chryſtuſa Namieſtnikowi, prawdziwe poſłuſzenſtwo Slubuię y przyſięgam.

Wſzytkie także co w Swiętym prawie, y powſzechnym Synodzie Duchownym, a oſobliwie w Swiętym Trydentcwim zgromadzeniu podane, poſtanowione, obiasniono ieſt, niewątpliwie przymuię, y wyznawam, a oraz wſzytkie tym przeciwne rzeczy y kacerſtwa wſzelakie, od Kosciola potępione, odrzucone, y wyklęte, y ia takze potępiam, odrzucam, y wyklinam.

Te zaś prawa Katholicka wiare, bez ktorey żaden zbawion bydz nie moze, ktorą to teraz dobrowolnie wyznawąm, y prawdziwie trzymam, teze cale,

y nienaruſzenie do oſtatniego zycia mego tchnienia mocno (za Boga pomocą) trzymać, wyznawać, y innych poddanych, albo tych ktorzy Zprawa do mnie, y urzędu nalezec będą, aby one trzymali, nauczac y opowiadac wedlug moiey nawiękſzy możności ſtarac ſię będę. Ia tenze N. N. obiecuię, y przyſięgam. Takmi Panie Boze depomoſz, y ta Schwięta Ewangelia.

FORMULÆ SCRIBENDI IN LIBRIS habendis apud Parochos ut infra.

Liber baptizatorum habeatur in Eccleſiis, in quibus confertur baptiſma.

Liber confirmatorum habeatur in Eccleſiis, in quibus confertur Chriſma.

Hi tres habeantur a quolibet Parocho.

Liber Matrimoniorum.

Liber Status animarum.

Liber Defunctorum habeatur etiam in omnibus Eccleſiis, in quibus Defuncti ſepeliuntur.

Advertat inprimis Parochus, ut libris tam Baptizatorum & Confirmatorum, quam Matrimoniorum & Defunctorum, exprimat ſemper non ſolum nomen perſonarum, quæ ibi nominantur; ſed etiam familiam.

FORMA DESCRIBENDI BAPTIZATOS

Habetur in prima Parte pag. 92.

Si vero infans non fuerit ex legitimo Matrimonio natus, nomen ſaltem alterius parentis, de quo conſtat, ſcribatur, (omnis

(omnis tamen infamiæ vitetur occaſio) ſi vero de neutro conſtat, ita ſcribatur.

Baptizavi infantem, cujus parentes ignorantur, natum die, ut ſupra.

Si expoſitus ſit infans, exprimatur, quo die, ubi, & a quo repertus, & quot dierum veriſimiliter ſit, & baptizetur ſub conditione, ſi ignoratur fuiſſe baptizatum.

Si infans domi, ob imminens mortis periculum, baptizatus ſit, tunc ita ſcribatur.

Anno Die Menſis Natus eſt N. Filius N. & N. conjugum &c. ut ſupra, quem ob imminens mortis periculum in domo rite baptizavit N. obſtetrix probata, vel N. filius N. ut mihi retulit N.

Si ſupervixerit infans, & adhibitæ ſint in Eccleſia ſacræ cæremoniæ, ita addatur.

Die ejusdem Menſis ad Eccleſiam portatus eſt infans prædictus, ipſique ego Parochus ſacras cæremonias & preces adhibui, & N. nomen impoſui.

Si forte non Parochus, ſed alius baptizaverit, id exprimatur.

Si fuerit baptizatus ſub conditione (ſi non es baptizatus &c.) id pariter exprimatur.

FORMA
DESCRIBENDI CONFIRMATOS in ſecundo libro.

Anno Die Menſis &c. Qui fuit dies &c. N. filius N. & N. conjugum N. vel filia N. (& ſi fuerit nupta, addatur uxor N.) Sacramentum

Confirmationis accepit a Reverendiſſimo D. N. Epiſcopo N. in Eccleſia S. N. Civitatis N. loci N Compater fuit N. filius N. Parochiæ S. N. Civitatis vel loci N.

Marium deſcriptio in una pagina, ſeu prima facie folii, fœminarum vero in altera ſejunctim notetur.

Si confirmatus non conſtet, an ex legitimo matrimonio genitus ſit, vel parentes ignorentur; ſervetur, quod in libro Baptizatorum præſcriptum eſt.

FORMA
SCRIBENDI CONGUGATOS

Habetur in Parte prima pag. 204.

Si unus ex iis, qui matrimonium contrahere voluerint, alterius Parochiæ fuerit, antequam admittatur, Parochus in cujus Eccleſia matrimonium celebrari debet, denuntiationum in ejus Parochia rite factarum fidem ſcriptam habeat, quæ aſſervetur, & res tota exprimatur in ipſomet libro matrimoniorum hac ratione:

Denuntiationes hujus Matrimonii factæ ſunt etiam a R. D. N. Parocho Eccleſiæ S. N. ſub cujus cura dictus N. vel dicta habitat, ut ex ipſius Parochi ſcripto ſervato apud me apparet. Denuntiationum autem prima facta eſt die ſecunda die tertia die inter Miſſæ Parochialis ſolemnia, nullumque impedimentum Canonicum detectum eſt.

Si autem alteruter ſit diverſæ Diœceſis, teſtimonium Parochi affirmantis, denuntiationes eſſe rite præſtitas, nullius roboris cenſeatur, niſi ab Epiſcopo, vel ab ejus Vicario Gene-

Generali illius Diœceſis, ſubſcriptione & ſigillo comprobatum, & ab Epiſcopo ſeu ejus Vicario loci, ubi contrahitur matrimonium, recognitum ſit, ab eoque licentia contrahendi fuerit obtenta.

Ubi Vero Ordinarii conceſſu (quod ſcripto conſtare debet) denuntiationes aliquæ differendæ, aut omittendæ interdum ſunt, ita notentur.

Anno Domini Die Menſis Denuntiationum una die rite facta, reliquis vero dilatis poſt matrimonii celebrationem, ex facultate ſcripto conceſſa a Reverendiſſ. N. ſeu a Vicario N. ſub die datis &c. infra ſcripti tenoris: quam penes me ſervo cum aliis hujusmodi facultatibus, nulloque prorſus impedimento allato. Ego &c. ut ſupra.

Denuntiationes vero, quæ poſt contractum matrimonium fient, ita ſcribantur.

Anno Die Menſis qui fuit Feſtus &c. & ſequenti, qui fuit Dominicus &c. ejusdem menſis, Ego N. Rector hujus Eccleſiæ S. N. inter Miſſarum ſolemnia denuntiationes habui matrimonii, jam prævia opportuna diſpenſatione initi, inter N. & N. die prima hujus menſis; nullum tamen Canonicum impedimentum ab aliquo allatum eſt, quo minus hujusmodi matrimonium ratum, ac firmum eſſe debeat.

Si autem denuntiationes omnes omittendæ ſint, aut differendæ; ita ſcribantur: Denuntiationibus omnibus omiſſis, vel dilatis &c. ex facultate &c. Ego Rector N. &c. ut ſupra.

Cæterum, ſi alteri Presbytero ab Ordinario, vel a Parocho ipſo, facultas facta ſit conjungendi aliquos, id in libro proprii Parochi ſic adnotetur ipſius Parochi manu.

N. Presbyter, vel Capellanus Eccleſiæ, N. de licentia Reverendiſſimi Epiſcopi N. ſeu N. ejus Vicarii loci N. aut mea, quæ penes me extat N. filium N. & N. &c. matrimonio conjunxit &c. ut ſupra. Et ego N. Parochus N. ſubſcripſi & teſtor, rem ita ſe habere.

Quod ſi ex denuntiationibus compertum ſit, conjuges aliquo conſanguinitatis, aut affinitatis gradu conjunctos eſſe, nihilominus ad contrahendum fuerit cum ipſis Apoſtolicæ ſedis auctoritate diſpenſatum, adnotetur gradus conſanguinitatis, vel affinitatis diſpenſatæ, & compendium decreti ſuper ea relati, cum die & anno, ac Notarii de illo rogati nomine, hoc modo:

Anno Domini Die Menſis præmiſſis denuntiationibus, ac comperto impedimento, ſecundi vel tertii, aut quarti gradus conſanguinitatis, vel affinitatis, ſeu alio quovis &c. inter N. & N. &c. obtentoque per eos Apoſtolicæ ſedis mandato de diſpenſando, & cum eis per Reverendiſſimum Epiſcopum N. auctoritate diſpenſato ſub die Anno ut conſtat ex Actis Notarii officii prædicti Epiſcopi, eos matrimonio conjunxi &c. ut in prædicta formula.

Denuntiationes autem in diverſis Parochiis, ſponſi videlicet & ſponſæ, ab utroque Parocho in libro notari debent, etiamſi matrimonium non ſequatur.

FOR-

FORMA
Deſcribendi ſtatum Animarum
in quarto libro.

Familia quæque diſtincte in libro notetur, intervallo relicto ab unaquaque ad alteram ſubſequentem, in quo ſigillatim ſcribantur nomen, cognomen, ætas ſingulorum, qui ex familia ſunt, vel tanquam advenæ in ea vivunt.

Qui vero ad ſacram Communionem admiſſi ſunt, hoc ſignum C. in margine contra habeant.

Qui Sacramento Confirmationis ſunt muniti, hoc ſignum habeant Chr.

Qui ad alium locum habitandum acceſſerint, eorum nomina ſubducta linea notentur.

Hac igitur ratione fiat, videlicet:

Anno Die Menſis In via, ſeu Platea, ſeu Pago, in propriis ædibus Pauli N. vel in ædibus N. vel in ædibus N. a Paulo conductis habitant.

Chr. Paulus N. Petri filius annorum &c.

Chr. Appollonia ejus uxor, filia Jacobi N. annor. &c.

C. Dominicus eorum filius, annorum &c.

Lucia eorum filia, annorum &c.

C. Chr. Antonius filius N. famulus annorum &c.

C. Catharina N. filia N. ancilla, annorum &c.

✠ Martinus filius N. annorum &c.

Forma deſcribendi Defunctos
in quinto libro.

Deſcribatur quis & quæ, & cui Sacramenta miniſtraverit, quando quis mortuus fuerit, & ubi ſepultus, quod hoc pacto fieri poterit.

Anno Die Menſis N. ex loco N. ætatis N. (ſi hæc ſciri poſſint) in domo N. in communione ſanctæ Matris Eccleſiæ animam Deo reddidit, cujus corpus hic ſepultum eſt in Eccleſia S. N. mihi N. vel N. Confeſſario probato confeſſus die Sanctiſſimoque viatico refectus die & ſacri Olei unctione roboratus etiam per me die.

CONSTITUTIO

Ad inſtruendos Chriſtifideles maxime obſtetrices circa Baptismum parvulorum vita periclitantium.

Quamvis Parochus aut alius Sacerdos ab eo delegatus Baptiſmi Miniſter ſit ordinarius, frequentiſſime tamen contingit, ut infantes, qui proxime morituri videntur, ſalutari lavacro expiare cogantur laici & præprimis obſtetrices.

Itaque ſi medici, qui ſervandæ corporis ſaluti præpoſiti ſunt, nullam mulierem in eo miniſterio verſari patiuntur, quæ prius ipſorum judicio probata non fuerit; Nos præſertim, qui perpetuam incolumitatem, beatamque illorum vitam, qui Nobis commendati ſunt, maxime expetimus, omnem diligentiam, curamque impendere debemus, ut Chriſtifideles & præ ceteris obſtetrices, a quibus tam crebro Baptismus impertitur, iis omnibus ſatis imbutæ ſint, quæ ad rem bene gerendam neceſſario requiruntur.

Rituale Romanum mandat de Miniſtro Baptiſmi: *curare debet Parochus, ut fideles, præſertim obſtetrices rectum baptizandi ritum probe teneant*, & Catechismus Romanus Part. II. de Sacr. Bapt. §. 12. deſiderat: ut promiscue omnibus fidelibus ea, quæ ad hujus Sacramenti ſubſtantiam pertinent, cognita & perſpecta eſſe debeant. His aliisque permoti decernimus.

I. Ut

I. Ut Parochi ceterique animarum Curatores ſingulis annis Dominica SS. Trinitatis, in qua ex Evangelio S. Mathæi cap. 28. verba Chriſti Domini ad diſcipulos ante concionem leguntur: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, de Sacramenti Baptismi inſtitutione, neceſſitate, fœdere baptismali, obligatione exinde contracta ſermonem ſuum, niſi alicubi ſingularis ſolemnitas aliud poſtulet, inſtituant, eoque finito gregi ſibi concredito promulgent, ſe diebus Dominicis immediate ſequentibus de materia, forma, inſtitutione & Miniſtro hujus Sacramenti in conſuetis catecheſibus, ad quas omnes Chriſtifideles *iterum iterumque*, ut interſint, hortandi, acturos, ac re ipſa ad captum auditorum, uti hisce præcipimus, de neceſſariis ad Baptiſmum agent, ut emergente neceſſitate non deſit, qui vita periclitanti ſalutari lavacro ſuccurrere novit.

II. Iidem obſtetrices in hac Diœceſi verſantes nondum informatas & probatas circa Baptismum hoc munere fungi non permittent; neque ulla alia deinceps eligetur, niſi prius in examen vocata pro conferendo Baptiſmo ſatis idonea fuerit reperta. Ne vero circa quæ inſtructæ ſunt obſtetrices, dent oblivioni, ſingulis annis in viſitatione præſente Archipresbytero examen ſubibunt, qui de earum idoneitate in viſitationis Actis teſtabitur.

III. Diligenter lectis, perlectisque iis, quæ in Rituali Diœceſano ex Romano deprompta Tit. *de Sacramento Baptismi rite adminiſtrando* continentur, animarum Curatores potiſſimum informabunt, examinabuntque has mulieres circa neceſſariam baptizantis intentionem, materiam ac formam Baptismi, & qua ratione ſimul ac materia applicatur, verba pronunciari oporteat. Quod attinet ad intentionem, informandæ ſunt: ut antequam Baptismum conferant, faciant intentionem ſeu habeant voluntatem conferendi Sacramentum & baptizandi juxta inſtitutionem Chriſti Domini. Circa materiam

teriam remotam ſeu aquam: ut naturalem adhibeant, & non niſi in hujus defectu materiam dubiam adhibere poſſint. Circa materiam proximam ſeu ablutionem (1) ut non ſit modiciſſima ſed notabilis, quæ pervenit uſque ad cutem capitis, & quæ ſufficit ad abſtergendam corporis maculam, cum interiorem animæ ablutionem ſignificet & cauſet. (2) ut ablutio hæc fiat in capite, in defectu hujus in alia ſemper magis principali corporis parte, ut in pectore, ſcapulis &c. (3) trina ut adhibeatur in forma crucis infuſio, & dum dicit: Ich taufe dich im Namen des Vaters, † fundat primo, und des Sohnes, † fundat ſecundo, und des heiligen Geiſtes. † fundat *tertio*. In caſu tamen *neceſſitatis etiam unicam infuſionem* ſine crucis forma adhibere licet: nec enim infuſio triplex, nec forma crucis ad Baptiſmi valorem requiritur. Quod ad formam pertinet inſtruentur verba hæc: Ich taufe dich im Namen des Vaters, und des Sohnes, und des heiligen Geiſtes, adeo eſſe eſſentialia, ut nullum ex his citra nullitatem Sacramenti omittendum ſit, nec quidquam in forma variandum. Ut autem ſingulorum verborum neceſſitatem magis perſpectam habeant, juvabit explicare, quod forma neceſſario quinque exprimat videlicet: perſonam baptizantem, quæ habetur in ly ich, actum Baptiſmi, quem denotat verbum taufe perſonam baptizandam, quam ſignificat pronomen dich, unitatem nature divinæ, quæ ſignificatur voce: im Namen, tandem explicitam nominationem trium Perſonarum divinarum, quam indicant hæ voces: des Vaters, und des Sohnes, und des heiligen Geiſtes. Uno horum emiſſo non habetur forma eſſentialis Baptiſmi; in quibus vero circumſtantiis forma conditionata adhibenda ſit, juxta præſcripta in Rituali Parochi obſtetrices docebunt.

IV. Proponent etiam obſtetricibus eventus ex Rituali *de baptizandis parvulis*, ac eas erudient, qua animi præſentia ſe præparare debeant ad omnem emergentem caſum præ-

cipue

cipue vero, quoties ad periculoſe parientem vocantur, de aqua naturali ſibi provideant, formam Baptiſmi revolvant, de intentione cogitent, ut in caſu neceſſitatis non perturbentur, ſed attente & omni cura neceſſaria ad Baptismum proli applicent, imo ſi circumſtantiæ id admittunt, curent, ut duæ ſaltem mulieres teſtes præſentes adſint, quæ in Baptiſmo verba ab iis prolata audiant, ſi vero id fieri nequit, nec tempus advocandi Parochum ſupereſt, ſub præſcripta forma baptizent.

V. Adigent quoque Parochi & Curati easdem, ut in illorum præſentia exercitium practicum Baptismi ad imitationem illius, quod *in Seminario* Clericorum a junioribus Clericis fieri ſolet, faciant, iisque injungent, ut quoties in neceſſitate baptizaverint prolem, quæ ſupervivens deferenda eſt ad Eccleſiam, id pro priori Sacerdoti inſinuent, qui facta inſinuatione ipſam obſtetricem ac teſtes mulieres, ſi quæ adfuerunt, diligenter interrogabit circa ſingula, quæ ad valorem Baptiſmi pertinent, & ſi ea obſervata fuiſſe deprehenderit, ſolas Baptismi ceremonias ſupplebit. Quoniam vero ad fores Eccleſiæ nec occaſio nec tempus ſit ſatis accommodum indagandæ rei veritati circa Baptismum in neceſſitate collatum, volumus & ordinamus, ut Sacerdos domi ſuæ vel alio in loco ſibi bene viſo ſtatim ac inſinuatio deſuper facta fuerit, obſtetricem & teſtes mulieres ſimul præſentes examinet.

VI. Quemadmodum Rituale Romanum *de baptizandis parvulis* vetat, ne monſtrum humanam ſpeciem non præſeferens baptizetur, ita quoque vetitum eſt illud ſub quocunque prætextu occidere. Non eadem conſenſio omnium circa prohibitionem alteram: *Nemo in utero matris clauſus baptizari debet.* Siquidem, ut monet Tournely in ſuis Prælect. de Sacram. Bapt. quæſt. 3. art. 3. ad Parochos pertinet obſtetrices inſtruere, ut cum caſus evenerit, in quo infantem nulla adhuc parte editum manibus tractare queunt, & mox deceſſurum prudenter timent, illum ſub conditione baptizent,

quia ejusmodi infans hac ratione natus dicitur, quod ex abditioribus maternæ alvi penetralibus ad uteri oſtium decidit, atque obſtetricis manibus pertractatur.

VII. Abortivi completi, id eſt primariis membris & toto corpusculo inſtructi, ſi vitæ indicium motu præbeant, abſolute baptizentur, ſi vero motum non præſeferunt, ſunt tamen incorrupti, non laceri aut contuſi, quamvis lividi ac ſine pulſu, reſpiratione, motu atque ſenſu, dubium eſt, utrum revera obierint, an non, ſæpe enim detectum fuit eos propter abortus violentiam in immane deliquium incidere, ita ut quamvis re ipſa vivant, omnino tamen *mortui* videantur, quare frictione aliisque mediis tentandum, utrum vivant, & vitæ ſigno dato baptizandi.

VIII. Quoniam non una eſt ſententia de abortivis incompletis, ſi vel ſibi ſolis relicti vel in aquam tepidam immiſſi motum oſtendant, ſed quidam eos anima rationali donatos adeoque abſolute baptizari debere contendunt, alii præſentiam animæ rationalis in dubium vocantes ſub conditione Baptismum iis impendi volunt; Nos hanc controverſiam hactenus indeciſam relinquimus intactam, & id ſolum curamus, ut ubi ejusmodi abortus evenerit, obſtetrices quam attentiſſime obſervent, utrum fœtus moveatur, adeoque vita donatus appareat, atque eum, ſi ita eſt, ſub conditione baptizent.

Ceterum hæc, aliaque omnia in Rituali circa Baptismum præſcripta diligentiſſime exequi ac obſervari volumus.

Vratislaviæ die 12. Septembri 1796.

&c. &c. &c.

INDEX

INDEX
PARTIS II.
DE BENEDICTIONIBUS.

De Benedictionibus regulæ generales 3
Ordo ad faciendam aquam benedictam 4
Benedictio fontis baptiſmi extra Sabatum Paſchæ & Pentecoſtes 7
Benedictio Domus in Vigilia Nativitatis Domini 11
In Feſto S. Stephani benedictio Avenæ. 13
In Feſto S. Joannis Evangeliſtæ benedictio Vini. 15
Pro Feſto Circumciſionis Domini. 18
In Vigilia Epiphaniæ benedictio ſolemnis ſalis & aquæ. 19
Benedictio cretæ in eadem Vigilia. 47
In Feſto Epiphaniæ, benedictio auri, myrrhæ & thuris. 48
Benedictio Candelarum extra diem Purificat B. M. V. 50
In Feſto S. Agathæ, benedictio panis & aquæ, contra ignis periculum. 52
Benedictio Candelarum in Feſto SS. Joannis & Pauli. 54
Benedictio domorum in Sabbato ſancto Paſchæ. 56
Benedictio loci. 58
Benedictio domus novæ. 59
Benedictio thalami. 59
Benedictio novæ navis. 60
Benedictio communis ſuper fruges & vineas. 61
Benedictio Granarii 61
Benedictio agni Paſchalis. 63
Benedictio ovorum. 64
Benedictio panis. 65
Benedictio novorum fructuum. 66
Benedictio ad quodcunque comeſtibile. 66
In Feſto Aſſumptionis B. M. V. benedictio herbarum. 67
Benedictiones Sacerdotalium indumentorum in genere. 71
Benedictio mapparum, ſive linteaminum Altaris. 73
Benedictio corporalium. 73

Benedictio Tabernaculi, ſeu vaſculi pro Sacroſancto Euchariſtia conſervanda. 75
Benedictio novæ Crucis. 75
Benedictio imaginum JEſu Chriſti Domini noſtri, B. V. Mariæ & aliorum Sanctorum. 76
Ritus benedicendi & imponendi primarium lapidem pro Eccleſia ædificanda ſervandus a Sacerdote facultatem habente ab Epiſcopo. 77
Ritus benedicendi novam Eccleſiam, ſeu oratorium publicum. 86
Ritus reconciliandi Eccleſiam violatam, ſi nondum erat ab Epiſcopo conſecrata. 95
Ritus benedicendi novum cæmeterium per Sacerdotem ab Epiſcopo delegatum. 99
Ordo reconciliandi cæmeterium violatum, ſive Eccleſiæ contiguum ſit, ſive ſeparatum ubi Eccleſia non eſt polluta. 102

DE PROCESSIONIBUS.

De Proceſſionibus Regulæ generales. 104
De Proceſſionibus diebus Dominicis. 105
De Proceſſionibus in Adventu. 109
De Proceſſione in Nativitate Domini. 110
De Proceſſione in Circumciſione Domini. 111
De Proceſſione in Epiphania Domini. 112
De Proceſſionibus in die Purificationis B. Mariæ V. 113
Ordo ſervandus in die Cinerum. 116
De Proceſſionibus in Dominicis Quadrageſimæ.
Dominica I. 121
Dominica II. 122
Dominica III. 123
Dominica IV. 123
Dominica Paſſionis. 124
De Proceſſione in die Palmarum. 125

Ordo ſervandus, feria quinta, ſexta, & Sabbato majoris hebdomadæ. 130
In Paraſceve. 132
Sabbato ſancto in nocte Reſurrectionis Dominicæ apertio ſepulchri & proceſſio. 134
Proceſſio paſchatis ante majorem Miſſam. 138
De Litaniarum majorum & minorum inſtitutione & cauſis 141
Ordo Litaniarum majorum, & Proceſſionis die S. Marci. 142
De Litaniis minoribus diebus rogationum. 146
In Feſto Aſcenſionis Domini. 147
De Vigilia Pentecoſtes. 148
In die ſancto Pentecoſtes. 148
In Feſto SS. Trinitatis. 150
In ſolennitate Corporis Chriſti. 150
De Proceſſione ſolemniori ejusdem feſti. 153
In die Octava Corporis Chriſti. 163
In Oratione publica coram ſanctiſſimo Sacramento, quæ dicitur quadraginta horarum. 164
De expoſitione Sanctiſſimi ad brevius tempus in neceſſitate publica. 166
De Proceſſione cum Sanctiſſimo ſingulis menſibus, vel diebus Jovis fieri ſolita. 168
De Proceſſione generali pro fidelibus defunctis. 170
De Proceſſione in dedicatione Eccleſiæ. 181
De Proceſſione ad petendam pluviam. 182
Proceſſio ad poſtulandam ſerenitatem. 185
Preces dicendæ tempore penuriæ & famis. 186
Proceſſio tempore mortalitatis & peſtis. 188
Preces dicendæ in Litaniis tempore belli. 190
Proceſſio in quacunque tribulatione. 196
Preces dicendæ in Broceſſione pro gratiarum actione. 202
In gratiarum actione, quæ fit lætitiæ publicæ cauſa absque proceſſione. 203

De Proceſſione in translatione ſacrarum reliquiarum inſignium 204
De exorcizandis obſeſſiis a dæmonio. 205

DE IIS, QUÆ PAROCHI PRÆ MANIBUS HABERE DEBENT.

Introductio novi plebani, ſeu beneficiati. 223
De Profeſſione fidei Catholicæ. 227
Forma Profeſſionis fidei a Pio IV. Decreta. Latine 228
Germanice 232
Polonice 236
De libris habendis apud Parochos. 240
Forma deſcribendi Baptizatos. 240
Forma deſcribendi Confirmatos. 241
Forma deſcribendi Conjugatos. 242
Forma deſcribendi ſtatum animarum. 245
Forma deſcribendi defunctos. 245
Conſtitutio ad inſtruendos Chriſtifideles, maxime obſtetrices circa Baptiſmum parvulorum vita periclitantium. 246

4000
G 213